n°1159

C.37.e.12
2

PIA ET CATHOLICA CHRISTIANI HOMINIS INSTITVTIO.

LONDINI.
APVD THOMAM BERTHELETVM.
ANNO. M. D. XLIIII.

TB.

QVAE HOC LIBELLO CONTINEANTVR.

EXPLANATIO de Fide.
Expositio in Symbolum apostolorum.
De septem Sacramentis.
De præceptis Decalogi.
Precatio dominica.
Salutatio Angelica.
Articulus de libero Arbitrio.
Articulus de Iustificatione.
Art. de bonis operibus.
De oratione pro mortuis.

PRAEFATIO AD PIVM LECTOREM.

QVANTVM MALVM SIT dissensio in religione, christiane lector, nemo est qui ignorat: et hoc sæculum adeo experitur, ut non sine gemitu et lachrymis queat commemorari. Quòd si principes illi de Rep. præclare merentur, quorum opera pax externa fouetur et conseruatur: quanto illorum præstantius est in populos sibi subditos beneficium, qui internam animorũ pacem et concordiam, nunc uariis opinionũ dissidiis (heu) nimis labefactatam et miserè diuulsam, in ecclesiam reducere sedulo laborant, ut uno spiritu, unoq; ore deus glorificetur. In quo principum numero, rex noster illustrissimus et christianę fidei ardentissimus propugnator, merito primũ locum obtinet, cũ tantos in componenda ac restituenda syncerę religionis disciplina labores compluribus iam annis exhauserit, quãtos nec à multis sæculis sustinuisse principem ullum est compertum, nec fanè quisquàm extare talem regem hoc sęculo facile crediderit, cuius pectus tanto pietatis studio et cura flagret, nisi qui ipse hæc coram cerneret

ac intueretur. Quoties ille uiros eruditos conuocauit? quoties de controuersiis, quæ hoc sæculo in ecclesia exortæ sunt, cum illis contulit ac disseruit? Quanto ingenio, cura, labore, dogmatum ueritatem et certitudinem inquisiuit? quanta prouidentia ac sagacitate, preciosum (ut est apud prophetam) à uili separandum curauit, catholica et antiqua retinuit ac stabiliuit, uana et Papistica abrogauit, hæretica uero et impia seueriſsime damnata exterminauit? Et cũ ea fuerit iam proximis ſęculis temporum infelicitas ut ecclesia hinc quidem sub Romani pontificis dominatu, immani quadam superstitionum mole deprimeretur: hinc autem quasi reflãtibus uentis hęreticorum dogmatibus penè funditus demergeretur, effectũ est diuina prudentiſsimi regis solertia, uerè regia uia incedẽtis, atq; (ut scriptura monet) nec ad dextram nec ad siniſtrã declinantis, ut ea hoc libro doctrina populo tradatur, quę uerè catholicam antiquę illius immaculatę ecclesię synceritatem referat, queq; nec fermẽti Papistici nec hęretici ueneni gustu inficiat. Quare cũ multis nominibus regi noſtro plurimum debeamus, tum hoc immortali beneficio, et prę cęteris omnibus claro et illustri, multo maxime deuinctos nos fateri omnes cogimur,

mur, quòd nisi ille unus religionem apud nos inclinatam ac nutantem sustinere atq; erigere in animum induxisset, tum dei glorię (ne quid grauius dicamus) minus cōsultū fuisset, tum ecclesiastica pax et concordia longe exulasset. Qualis enim futura esset ecclesię facies, si pergerent homines de grauissimis fidei dogmatibus atque articulis ex suo cerebro temere pronunciare, et mutuis se concertationibus agitare ac lacessere? Aut quę posset uigere inter homines charitas, (cuius uirturis fructum Christi lex potissimum requirit) si de fide ambigere, et cuiuis pro suo sensu perpetuo rixari liceat? Quam pestem ab hac rep. et regno suo clarissimus rex noster depellere atq; arcere cogitās: aceitis nuper aliquot eruditis uiris, et de quorū integritate ipsius maiestas optimam opinionem conceperat, cum his consiliū conferre dignatus est, de eiusmodi christianę institutionis forma compendio perstringenda, quę necessariam ad erudiendum uulgus in uera pietate et dei lege doctrinam contineret, et articulos quosdam, de quibus hoc sęculo contentiones existere cœperunt, ita dilucide explicaret, ut quid in eiusmodi controuersiis uerum syncerum q; esset, quid catholicę fidei consentaneum ac pro certo tenendum uniuersi perspicerent

rent ac clare intelligerent. Quam institutionem lector charissime, illustrissimi simul et religiosissimi principis industria primũ uernaculo sermone editam, nos nũc in latinum uersam in lucem damus: quòd indignum duximus, ut hoc pacificandę ecclesię studium et exemplum, quo regia maiestas immortalem sibi gloriã promerita est, in obscuro lateret, ac non potius orbi uniuerso (quo cęteri principes ad similem religionis componẽdę zelum excitentur) innotesceret. Accipe igitur grato animo libellum, cuius fructũ non tam ex magnitudine aut prolixitate, q̃ ex succincta et tãtum necessaria dogmatũ explicatione æstimabis. Nec uero effusam omniũ rerum expositionem hoc libello expectabis, aut illũ expolitę dictionis apparatum, uel sententiarum amplitudinem, quam adhibere conantur ii, qui eruditis potius quærunt placere, quàm uulgo prodesse. Veniat in mentem, hęc imperitæ plebis gratia potissimum scripta esse, et propterea propositum fuisse, nulla adhibita curiositate, aut anxia scripturarũ inductione, aut testimoniorũ (quibus ornari ac dilatari opus poterat) accumulatione, nudam tantum articulorum ueritatem quàm simplicissime exhibere atq; ob oculos ponere. Quod certe pręstitũ esse hoc libello existi-

existimamus, ut summã in eo christianę doctrinę et catechismi, quo necessario uulgus imbuendum sit, perspicue, fideliter et catholice descriptam atq; expressam habeas. Atq; id (uti speramus) nobiscum fatebitur, quisquis iudicio syncero, et animo affectibus uacuo libellum perlegere dignatus fuerit. Ac sane nimia fuerit insolentia ac temeritas (à quibus uitiis studiosi et docti uiri alieni esse debent) de libro nõ ad calcem usq; perlecto, et non omnibus partibus euoluto atq; excusso, sententiã ferre. Hortamur ergo te lector, ut perlegas, ac deinde iudices. Nec statim, si res ex tua sententia, eo in quẽ forte incideris, non tractetur loco, corrugata fronte librũ abiicias. Id enim quod tu desyderas, alibi fortasse non minus appositè locatum et explicatũ inuenies. Certe quod ad propositam ac subiectam (ut dici solet) libri materiam attinet, haud prætermissum esse quicquàm putamus, quin aliquo quàm commodissime loco pertractetur. Idq; ea ratione ac modo, ut non nisi puram et uere catholicam in hoc libro doctrinam ullã possis deprehendere, sentiasq; in hoc elaboratum esse, ut rectam et planam salutis uiam uulgus intelligat. Qua de re æquũ est, amantissime lector, te pro tua charitate, deo opt. max. qui ad hoc cõponendæ re-

dę religionis et illuſtrādi uerbi ſui ſtudiū, regem noſtrum excitauit, gratias agere, noſtroq; Monarchæ inuictiſs., cuius opera et auſpicio hæc ad eccleſiæ ædificationem ſunt edita, proſpera omnia ſemper precari, uotisq; ardentibus optare, ut hunc pientiſsimi principis noſtri laborem et exemplum, reliqui chriſtiani orbis moderatores imitari non graucṫur. VALE IN CHRISTO.

DE FIDE.

VM IN HOC LIBELLO, qui uulgi inſtituendi cauſa potiſsimum editus eſt, primo loco de fidei articulis tractandum ſit: operęprecium in primis eſſe arbitramur, priuſquàm ad ſymboli explicationem accedamus, de ipſa fide ſeparatim aliquid dicere: ut ſtatim ab exordio huius inſtitutionis, quomodo fidei uocabulum accipiendum ſit, & quam uim ac ſignificationem habeat, euidentius cognoſci poſsit: quatenus nimirum FIDES eſt propria quædam uirtus Chriſtiani hominis, qui fide per Chriſtum, diuinæ gratię & cœleſtium donorum particeps efficitur. *Fides.*

QVANQVAM autem non uno modo in ſcripturis ſanctis fidei uocabulum accipiatur, ſatis tamen ad hoc inſtitutum noſtrum erit, ſi duas tantum hoc loco illius ſignificationes ſeu acceptiones expoſuerimus.

PRINCIPIO igitur fides ita conſyderanda occurrit, quatenus ſeparatum exiſtit quoddam dei donum, à ſpe & Charitate diſtinctum: iuxta quàm acceptionem conſtat fidem ſignificare certam quandam perſuaſionem & credulitatem, diuino afflatu & gratia animo humano inditam, per quam homo adducitur non modo ut credat deum eſſe (eſt enim ea notitia ex creaturis & mundi conſtitutione, ut Paulus ad Ro. docet, mentibus hominum abunde expoſita) ſed etiam ut omnes dei ſermones, ſacris ſcripturarum libris expreſſos & manifeſtatos, tanquàm ex certiſsima & indubitata ueritate profectos, admittat, recipiat & amplectatur. Neq; uero erga ſcripturas ſolum, ad hunc quem diximus modum, affici ſatis eſt, niſi quis etiam quæcunq; apoſtoli docuerunt (quæ eadem ab illorū temporibus ad hanc uſq; ætatem uniuerſali ac perpetuo Eccleſię Catholicæ conſenſu

Fidei prima ſignificatio ſeu acceptio.

Roman. 1.

Scriptura.

recepta, tradita, & pro ueris ſemper habita ſunt) ea ut ex Apoſtolicæ doctrinæ authoritate in nos uſq; deducta, approbet, rata habeat & tenenda conſeruandaq; exiſtimet.

Doctrina apoſtolica.

ATQVE HIC prior eſt modus, quo fides accipitur, quatenus diuinæ gratiæ donum eſt, per quam mens hominis non ratione aut naturæ lumine nititur, ſed illi adhæret perſuaſioni quæ eſt ex fide, atq; in illa acquieſcit, qua quidem fide niſi illuſtremur, in cæcitate & ignorantia uerſamur omnes, & ſine intellectu ſumus. Iuxta illud Eſaiæ: Niſi crediderit is, non intelligetis. Atq; hęc fides initium eſt, & fundamentum totius chriſtianæ religionis ac pietatis. Accedentem enim ad deum (ut Paulus inquit) Oportet credere, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.

Ita legũt. 70 interpretes.

Heb. 11.

CAETERVM licet hæc fides ad inchoandam iuſtitiam neceſſario requiratur, tamen niſi eo profecerit, ut ſpei etiam & charitati adglutinetur, mortua tantum fides ſecundum ſcripturas appellatur, eo quòd ſpiritu & uita careat, id eſt, energia ac uirtute charitatis uacua atq; inanis ſit.

Fides mortua

ALTERO autem modo fides intelligitur, ut eſt ſpei & charitati coniuncta: & iuxta hanc acceptionem, nõ tantum ſimplicem illam, de qua ante diximus, credulitatem & perſuaſionem ſignificat: uerum etiam certam quandam ſpem, & fiduciam ea cõſequendi quæ deus in CHRISTO promiſit, una cum ſyncero in deum amore, & prompta animi noſtri erga illius præcepta obedientia. Atq; hęc demum eſt uiua illa fides, quæ præſtat ut homines ſe totos ſubdant diuinæ uoluntati. Eſtq; hæc fides, quam Paulus ad Galatas, in CHRISTO ualere affirmat, nempe ea quæ per Charitatem operatur atq; efficax eſt.

Fidei ſecunda acceptio ſeu ſignificatio.

Fides uiua.

Gal. 5.

HAC FIDE præditus Abraham, egreſſus eſt è patria ſua, neſciens quo iret, & demoratus eſt in terra promiſſionis tanquàm in aliena. Expectabat enim fundamenta haben-

Heb. 11.

bentem ciuitatem, cuius artifex & conditor, deus. Hac etiã fide idem patriarcha obtulit Isaac filium suum, cum tentaretur, in quo susceperat promissiones, confidens quòd etiam à mortuis suscitare potens esset deus. Atq; in hunc modum sumitur fides in exemplis ferè omnibus, quæ undecimo ad Hebræos capite commemorantur. Et hęc est integra christiani hominis & consummata fides, quam unusquisq; seruaturum se profitetur, & spondet, cum per baptismi sacramentum Christo inseritur.

Fides integra & cõsummata Christiani.

ET HOC inter præcipua notandum est, nimirum omnes dei promissiones, ex quibus salutis aut peccatorum condonationis fiduciam homines per Christum concipere possunt, sub hac conditione esse propositas: ut scilicet & deo credamus, & præsidio gratiæ ipsius in CHRISTO nobis exhibitæ & oblatę, studeamus dei mandatis obtemperare. Quamobrem ecclesia quo nobis perpetuo suggerat, ac in memoriam reducat, huiusmodi promissiones dei una cum conditione nobis esse factas, ita ut necesse sem per sit ad conditionem respicere, si ex promissione nobis uendicare aliquid aut exigere uelimus: antiquo quidem eòq; apostolico instituto traditum obseruat, ut accedentes ad baptismum non prius efficiantur sacramenti compotes, quàm conditionem à deo propositam se seruaturos promiserint, & testificati fuerint se abrenunciaturos sataną & mundo, & solius ueri dei cultores ac seruos deinceps futuros.

Promißiones dei sub conditione propositæ.

Professio christiani in baptismo.

EX QVO quidem pacto ac fœdere cum deo sic inito, per quod fidem suam in baptismo astringit deo, dicitur quispiã Fidelis. Qui uero huiusmodi pacto se deo aut omnino non obligauit, aut fœdus semel sancitum & susceptum penitus reiicit ac repudiat, hic sane Infidelis nominatur. Et quoniã fœdus cum homine deus inire dignatus est, & promissio-

Fidelis.

Infidelis.

nibus suis illi se obstrinxit, in quibus præstandis, cum sit uerissimus iustissimusq; fallere non potest, ex eo sane quòd fidem quã dedit homini præstat deus, fidelis etiam ipse passim in scripturis uocatur, propterea q; fidem seruat homini, mutuum fidelitatis officium ab homine uicissim expectans.

Deus fidelis.

EX IIS ergo, quæ iam diximus, liquet, quid de fide sentiendum sit: nempe non mortuam illam, cuius priore loco mentionem fecimus, sed hanc alteram uiuam, de qua iuxta secundam acceptionem locuti sumus, integram esse & efficacem christiani hominis fidem, quæ non simplici tantum credulitate & animi assensione continetur, sed promptam etiam obedientiam erga uniuersa dei mãdata & christianam religionem complectitur.

Fides integra & efficax.

ATQVE in hunc sane sensum accipiendum est illud Pauli, Iustificati ex fide. &c. atq; eiusmodi scripturæ loca, in quibus iustificandi uirtus fidei tribuitur. Ex quibus utiq; locis non est putandum, iustificari nos fide, quatenus ea donũ est à charitate, spe, timore, & pœnitentia seiunctum: sed huiusmodi scripturæ locutiones hoc potius uolunt, nempe fidem, non quidem aut solam, aut tantum, sed cæteris illis quas iam diximus, uirtutibus ac donis coniunctam & consociatam nos iustificare. Quæ fides (ut supra abunde dictum est) promptam etiam obedientiam nostram erga CHRISTI doctrinam comprehendit.

Fide Iustificati, quomodo accipiendum.

IAM VERO hoc loco diligenter aduertendum est, non statim atq; in peccatum inciderit quispiam, eum propterea fidem etiam suam amisisse. Nam qui uel carnis imbecillitate uicti, uel repentinis animi perturbationibus superati, subinde peccant, id quod sæpe ne iusti quidem effugiunt (quãobrem etiam iubentur orantes dicere, Dimitte nobis debita nostra &c.) ij quàmuis & fidem deo præstitã uiolent, & in cultu dei ac studio pietatis negligentius se atq; remissius gerant,

Fides cum peccato.

rant, fidem tamen ſuam propterea perdidiſſe haudquaquàm exiſtimandi ſunt.

QVI VERO poſtq̃ CHRISTO nomina in baptiſmo dederunt, reiecto dei timore ac malitia excæcati, homicidiũ, adulterium, ac eius generis ſcelera perpetrare haud formidant, tametſi à plenaria illa fide (quæ iuxta ſecundam fidei acceptionẽ uniuerſam pietatis profeſſionem complectitur) merito excidiſſe dicãtur, à gratia & fauore dei pro tempore alieni extorresq; facti, nemo tamen uel in iſtis recte dixerit fidem perijſſe, iuxta priorem illius à nobis expoſitam rationem. Manet enim in illis, etiam poſt lapſum eadem credulitas, manet cognitio eadem quæ prius fuerat. Nec ſecus quàm antea uerbo dei ac ueritati, tacito cõſcientiæ ſuffragio aſtipulantur. Itaq; apud Lucam legimus duram illam comminationem aduerſus ſeruum, qui uoluntatem domini & ſuum officium ſciens prætermittit. Et Iacobus fidem poſſe eſſe ſine charitate, aperte docet. Id quod etiam peccator quiſpiam qui baptiſmi gratiam cõtaminauit, facile demonſtrat. Nam utcunq; ſcelere ſuo irretitus eſt, tamen mordentem intus & pungentem ſentit conſcientiam, atq; illud notitiæ diuinitus infuſum lumen, per fidem gerit in animo, nouitq; ac uidet (ſi ad cor ſuum redire ac ſe intueri uelit) quibus remedijs peccatorum remiſsionem conſequi, & iuſtitiam recuperare poſsit. Atq; ad hunc modũ ſublimiori gratiæ dono adiutus, ita demum excitatur, ut cognitionem illam quam fides ſuggerit, etiam actione ſollicitus exerceat, ac ſalutem ſuam, ut Paulus inquit, cum timore ac tremore operetur. Atq; ita, fide prælucente, uias & rationes circũſpicit, libenterq; ſuſcipit, quibus à peccatis abſolui, & in dei gratiam recipi queat. Qua de re, cum ad pœnitentiæ ſacramentum uentum fuerit, uberius dicemus.

Fides ſine charitate.

Luc. 12.

Iacob. 2.

2. Cor. 7.

HACTENVS itaq; duas fidei acceptiones explicauimus,

mus, & præterea planum fecimus, fidem illam quæ notitiã proprie significat, in eo qui à fide uiua & plenaria (quam secunda fidei acceptio complectitur) exciderit, posse restare.

De certitudine prædestinationis.

CAETERVM an singularis aliqua sit per fidem notitia, qua quisq; certo apud se statuere & sibi cõfirmare possit, esse se de numero prædestinatorum, & eorum, qui in christiana uocatione ad finem usq; perseueraturi sint: nõ est ut in præsentia dicamus, cum nullam huiusmodi notitiam aut certitudinem, uel diuinarum literarum testimonio, uel sanctorum patrum scriptis traditam, commendatámue habeamus. Fatendum uero omnino est, in sacramentis (quæ Christus ad uirtutem & gratiam suam nobis impertiendam & communicandam instituit) deum efficaciter operari, ac inde merita Christi nobis applicari, magnasq; ex eisdem cõsolationes, ad erigendos & confirmandos animos nostros exhiberi, adeo ut certi esse possimus, deum (quod ad ipsum spectat) abunde omnia præstiturum, nec uelle nos unquàm deserere, si nos illi adhærere, atq; in illo manere uoluerimus. Quo quidem in statu, si in finem usq; perseuerauerimus, de salute nostra certi sumus, idq; ex infallibili Christi promissione.

Qui perseuerauerint in finem &c.

AT QVONIAM tanta est infirmitas nostra & inconstantia, ut nunquàm securi esse, sed in timore domini semper incedere debeamus: curandum est ut perpetuò uigilemus, orantes ne intremus in tentationem, & semper quasi in procinctu aduersus hostes, qui perniciem nostram machinari non cessant, nempe mundum, carnem, ac dæmonem, magna animi constantia perduremus. Nec de electione nostra, perseuerantia aut gratia insolentius efferamur, nec magnifice de nobis gloriemur, cum ex nostra parte (fragiles enim & ad malum procliues sumus) hæc omnia parum certa aut firma sint. Et quanquàm dei in Christo promissiones immutabiles sunt, at nobis tamen (ut supra demonstratum est) una

una cum annexa conditione proponuntur. Ita ut quantumcunq; deus nobis promiserit, nunquàm tamen ad nos promissio pertineat, si nos nostram quam deo fecimus promissionem negligamus. *Promissionibus dei quomodo confidendū*

QVAMOBREM si ex promissione tantum, de futura illa uita & beatitudine spem nobis firmare uelimus, nec ipsi interim, ut ea quæ deus promittit apprehendamus, quicq; contendere atq; eniti in animum inducamus: nihil profecto aliud facimus, quàm perinde ac si quis stulte ac insolenter ante uictoriam sibi canat triumphum, frustráq; expectabimus pigri & otiosi, quod non nisi sub laboris operisq; conditione promissum est. Paulus enim aperte nos commonefacit dicens: Nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Atq; hoc sane est, quod sine omni dubitatione unicuiq; christiano credendum est. *2. Tim. 2.*

ANNOTATIVNCVLAE QVAEDAM *Introductoriæ in Symbolum.*

HIC PRIMVM aduertendum est, omnes fidei articulos, qui in hoc symbolo continentur, ita esse ad salutem creditu necessarios: ut quisquis non firmissimam illis fidem adhibuerit, aut dogma ullum seu opinionem illis contrariam & repugnantem pertinax asseruerit, non possit is á CHRISTO & sponsa ipsius ecclesia non esse alienissimus. Qui, tantum abest ut ad CHRISTI regnum pertineat, ut infidelem profectó aut hæreticum, & omnino satanæ membrum esse eum qui eiusmodi est, & sempiternæ cum parente diabolo

bolo condemnationis ſupplicio afficiendum, uere atq; audacter affirmemus.

PRAETEREA nec hoc homines chriſtianos latere debet, quod quæcunq; aut in hoc uulgari ſymbolo traduntur, aut etiam in illo diui Athanaſii, aut deniq; in illo quod in eccleſia ſacrificij tempore cantari ſolet (quod & ex uetuſtiſsimis concilijs compoſitum eſſe conſtat) firma ac inconcuſſa fide amplectenda & retinenda ſint.

AD HAEC quæcunq; in ſacroſanctis atq; canonicis ſcripturis comprehenſa ſunt, ea tanquàm à certiſsima ueritate profecta, conſtantiſsime omnibus chriſtianę fidei profeſſoribus credenda ſunt. Neq; ſolum hæc omnia firmiter ſunt tenenda, & tanquàm certiſsima ueritatis oracula, & quæ mutari, impugnari, conuelli nulla authoritate poſſunt, credenda: ſed ita etiam accipienda, & in eam ſententiam interpretanda, quam tum ipſa ſcripturæ oratio manifeſte indicat, tum ſancti & probati eccleſiæ doctores unanimi conſenſu tradunt & defendunt.

Scriptura quo modo intelligenda.

POSTREMO neq; hoc ullum fidelem latere oportet, uidelicet uetuſtas illas, & iam obſoletas hæreſes, quæ opiniones tribus iam dictis ſymbolis contrarias docuerunt, ac propterea in celeberrimis & antiquiſsimis eccleſiæ concilijs, præſertim Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Calcedonenſi, ſunt condemnatæ, prorſus abominandas ac omnibus fugiendas eſſe.

Primus

Credo in deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

VT SINGVLA huius articuli uocabula clarius intelligantur, primo sciendum est: DEVM spiritualem esse & inuisibilem substantiam seu naturam, principio & fine carentem, æternam, infinita uirtute, scientia incomprehensibili, immensa sapientia, bonitate, iustitia, clementia ineffabili præditam. Deus.

Ad hęc non nisi unum esse deum etiam in trinitate personarum, nempe patrem, filium, & spiritum sanctum. Atq; hæ tres personæ non sunt tamen tres dij, sed unus deus, una natura, una substantia, una eademq; sempiterna essentia. Quarum sanè personarum in eadem diuinitatis gloria, cæterisq; omnibus quæ ad deitatem pertinent, æqualis est potestas, uirtus, sapientia, cognitio & iustitia. Estq; hic solus deus ac dominus, nec præter ipsum est alius. Trinitas.

QVANDO igitur in hoc articulo deum patrem audimus, cogitandum est, PATREM primam esse in sacra triade personam, nempe patrem unigeniti filij sui domini nostri Iesu Christi, qui uerbum est et filius dei ante secula à patre genitus, deus de deo, secunda in trinitate persona. Pater.

PORRO cum patrem etiam OMNIPOTENTEM dicimus, per hoc intelligimus ineffabilem atq; immensam esse dei potestatem, omnia enim quæcunq; uoluit fecit, nec quicq̃ illi difficile aut impossibile est, nec est ulla uirtus siue in cœlo siue in terra, siue apud inferos, quæ possit cum illius potentia comparari: imo uero si ad hanc conferantur, nihil sunt omnes potestates, uel apud superos, uel apud inferos, Omnipotens. Psal. 134.

feros, nec per se quicquàm ualent, aut efficere possunt sine deo, à quo omnem potentiam suam, omne robur et facultatem, quam sortitæ sunt, accepisse certum est, cuius nutu & arbitrio omnino reguntur, nec ei uel tantillum resistere possunt. At quantumuis sit omnipotens deus, quantumuis rerum omnium causa, non tamen est aut esse potest author peccati, utpote quod ex inuidia diaboli, & libero hominis arbitrio originem & causam habet, deo tantum permittente, non autem instigante aut impellente, ut mali aliquid uel cogitatione uel actu perpetremus.

Deus non est author peccati.

Peccatū unde

IAM uero cum confitemur CREATOREM cœli & terræ, agnoscimus eūdem in principio creasse, atq; adeo ex nihilo fecisse cœlum, terram, & omnia quæ in eis sunt, tam quæ uidentur, quàm quæ non uidentur, omnesq; suas, quibuscunq; præditæ sunt, uires & facultates, creaturis donasse. Quas etiam uniuersas sua admirabili prouidentia perpetuò gubernat, moderatur, conseruat, tuetur ac sustentat: nec sine hac prouidentia (iuxta quam usq; modo patrem operari Christus apud Ioannem testatur) uel ad momentum potest aliquid in rerum natura subsistere.

Creator.

Prouidentia dei.

Ioan. 5.

CAETERVM in exponendo hoc articulo, istud inprimis memoria tenendum occurrit, nimirum, ut uere in deum credere dicamur, non satis esse, si tantum illam fidem habeamus, qua certissime statuimus & deum esse, & eundem ueracem, iustum, omnipotentem, cœliq; ac terræ creatorem existere: sed una cum hac fide deum etiam diligere, illi nos submittere, illi toto pectore deditos esse, atq; ita in ipso per charitatem manere, & perseuerare oportet. Est enim (sicut Augustinus docet) In deum credere, credendo illi adhærere atq; amando in ipsum tendere.

Credere in deum.

De cognit. uerę uitæ, cap. 37.

DOCEMVR ergo, cum nos in deum credere profitemur, ut parati semper simus diuinæ uoluntati parere, eiùsque

ꝯ mandata quanto maximo poterimus ſtudio ſeruare, pietatem omnem ac uirtutem & corde & opere colere, uitium autem & omnem turpitudinem horrere ac deteſtari, nihil niſi ſanctum & iuſtū uelle aut optare, à deo totos pendere, totam ſpem noſtram in ipſo conſtituere ac reponere, nec in alio quam illo uno acquieſcere, certo credentes illum promiſſam nobis gloriam & felicitatem aliquando exhibiturum, ſi modo nobis ipſi deeſſe non uelimus, ſed quod noſtrum eſt alacriter præſtiterimus.

HVIVSMODI autem fide, nullam creaturam, quantumuis eximiam aut præſtantem colere debemus, ſed unum deū. Hic enim loquendi modus, quo dicimus, CREDERE IN, fidem in ſolum deū inſinuat, ac propterea in fidei ſymbolo illis tantum articulis apponitur, quibus uel in patrem, uel filium, uel ſpiritum ſanctum, fidem noſtram teſtamur.

Credimus in ſolum deum.

SECVNDVS ARTICVLVS.

Et in Ieſum Chriſtum, filium eius unicum, dominum noſtrum.

IESVS CHRISTVS in quem hoc loco nos credere cōfitemur, unicus eſt filius dei patris omnipotentis, ex diuina patris ſubſtantia naturaq; ab æterno genitus, uerus deus, eiuſdem cum patre & ſpiritu ſancto ſubſtantiæ, quibus in ijs quæ ad deitatem ſpectant, per omnia eſt æqualis.

PORRO filius dei VNICVS dicitur idem Ieſus Chriſtus, q; ſolus naturalis ſit filius dei. Nam licet nos qui Chriſti nomē profitemur, filij dei ſubinde in ſcripturis appellemur, id tamen ſecundū gratiam tantū atq; adoptionem intelligendum eſt. Credimus aūt, & in Ieſum Chriſtū DOMINVM

Chriſtus unicus filius dei.

NOSTRVM. Ita enim apud deū à sempiterno constitutū fuit, ut Christus dominus noster foret: utq; nos à peccatis
Coloss.1. & morte æterna redemptos, de potestate tenebrarum eriperet, ac transferret in regnum suū. Qui merito propterea IESVS dicitur, quod seruet populum suū à peccatis eorū:
Iesus. CHRISTVS uero, id est, unctus appellatur, quod & re-
Christus. gis & sacerdotis nomine ac dignitate sit insignitus. Postremo & DOMINVS recte uocatur, cū noster & redemptor
Dominus. & gubernator existat. Atq; his tribus nomenclaturis, summa Christi erga humanum genus beneficia quasi compendio perstringuntur. Impleuit enim ille pro nobis, & sacerdotis & regis ac domini munus atq; officium. Et SACERDOTEM quidem egisse eum quis nescit? cum in cruce se
Christus sacerdos. pro nobis hostiam deo patri obtulit, corpusq; suū in mortem tradere, & sanguinem in remissionem peccatorū effundere non detrectauit: idem ipse & sacerdos existens & uictima. Porro REGEM se esse luculenter declarauit, eo
Christus rex. quòd expoliatis & triumphatis principatibus ac potestatibus aduersarijs, uasa fortis diripuit, & genus humanum diaboli quondam fraude, in miserrimam seruitutem redactum, potenter liberauit, liberatumq; collocauit in gratiæ suæ re-
Coloss.2. gno. Quo factum est, ut nunc uere populus acquisitionis
Luc. 11. & dicamur & simus, ac ueteri illo domino cui nos olim addixeramus penitus abnegato, Christi qui pro nobis & mor-
1.Pet.2. tuus est & resurrexit, seruos nos agnoscamus atq; præstemus, eidem cum omni pietate & iustitia fideliter inseruientes: quem propterea hoc nomine haud immerito celebramus, ut eum dominum appellemus, qui nos sacrosancti sui sanguinis precio redemptos, sibi mancipauit.

IAM uero & hoc multò est suauissimum, q; Iesum Christum haud simpliciter nec absolute dominū appellamus, sed addimus etiā NOSTRVM, qua uoce nihil nobis dulcius

aut

aut iucundius esse potest aut debet: significat enim nos ipsius peculiarem esse populum, per ipsum à morte liberatum & redemptum, eòq; subiectum & obsequentem illius imperio.

QVOCIRCA nec istud est silentio prętermittendum, iamdiu receptum fuisse, ut in uernaculo nostro sermone de CHRISTO loquentes, eum dicamus dominum nostrum (Our Lorde) cum sit ille profecto omnium dominus, etiam ethnicorum & infidelium. Verum ij quoniam à regno gratiæ illius propter ipsorum infidelitatem alieni sunt, dominũ suum uocare illum uere & ex animo non possunt. Nobis uero Christianis dei beneficio datum est, ut eum nostrum appellemus. Quapropter hũc loquendi morem, etiamnum à populo Christiano in uulgari sermone retinendum esse arbitramur, ut CHRISTVS potius dominus noster, quam simpliciter dominus appelletur.

Christus dominus noster.

TERTIVS ARTICVLVS.

Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine.

POSTQVAM illa temporis plenitudo aduenerat, de qua Paulus ad Galatas scribens loquitur, pro ineffabili sua erga genus humanum charitate, misit deus filium suum in mundum, ut qui in forma dei esset, & natura deus, formam etiam hominis atq; naturam assumeret, ut crucem & mortẽ homo factus pro nobis sustineret. NEC VERO ad hoc tantũ uenit Christus, ut per mortem suã peccata mundi aboleret: sed ut totius etiam uitæ suę ac mortis exemplo nos instrueret, & doctrinæ suæ claritate, mentibus humanis lucem ueri

Galat. 4.

Deus quare homo factus.

tatis inferret.

IACEBAT enim, ante Christi in terras aduentum, uniuersum mortalium genus altissimis scelerum & ignorantiæ tenebris immersum & excæcatum, omnisq; uera dei notitia tantũ non sublata atq; extincta fuit: adeo sane ut ipsa dei lex ubiq; conculcata, & pro nihilo sit habita, idq; non apud gentes solũ, sed ab ipso etiam populo Iudaico, quem deus opt. max. amplissimis semper beneficijs, & singulari fauore sibi summe deuinxerat, ut qui per Moysen seruum suum (quod alijs nationibus concessum non erat) præcepta sua & legem solis Iudæis patefecerit. At ij diuinæ benignitatis obliti, cũ deum semper sua peruersitate offendere non cessarent: moniti tamen sæpenumero fuerunt per prophetas, in hoc à clementissimo deo missos, ut resipiscentes in uiam redirent.

Iudæi.

CAETERVM cum post tot expostulationes exhortationesq;, nec apud Iudæos quicquam proficeretur, & gentes idolorum cultu insanirent, atq; profundissima ueritatis ac pietatis ignoratione demersæ iacerent: deus optimus (quæ est illius incomparabilis bonitas) in hac tanta mundi caligine & malitia, propter ingentem suam & ineffabilem erga homines charitatem, FILIVM suũ (æternũ uidelicet uerbum ac sapientiam illam, qua cœlum terramq; condidit) postremis hisce temporibus misit in mundum, ut humana carne indutus, homo inter homines uersaretur: eosq; à morte æterna redimeret, redemptos uero & uiam ueritatis edoctos, ad dei cultum & uitæ æternæ felicitatem, fide & suæ uirtutis imitatione perduceret. Est enim hic CHRISTVS, ut ipse in euangelio testatur, uia ad deum patrem ducens, ueritas patrẽ hominibus reuelans, uita deniq; æterna immortalitatem largiens ijs, qui uere in ipsum credunt. Hunc singulari prȩconio totius orbis doctorem atq; magistrum, paterna uox constituit ac designauit, dicens. Ipsum audite.

Christus nobis quid sit.

Ioan. 14.

Matth. 17.

Hic

HIC CHRISTVS filius dei, de spiritu sancto cõceptus in utero beatę uirginis, cui nomen erat Maria, carnem sumpsit, & ex illius substãtia natus ac editus uerus atq; perfectus homo factus est: interim in unitate diuinę substantiæ, uerus etiam & perfectus deus perpetuò manens: in quo diuina natura cum humana ita unita ac sociata existit, ut uerbum caro factum, nihilominus unam personam constituat, sitq; unus mediator dei & hominum homo CHRISTVS IESVS, idem uerus homo ac uerus deus.

Christus ex Maria carnẽ sumpsit.

IAM uero eundem Christum deum ac dominum nostrum, de spiritu sancto conceptum propterea dicimus, quòd naturali ac communi iuxta carnem generationi nihil hic loci fuerit, sed quòd spiritus sanctus adorandæ huius conceptionis & partus author atq; operator extiterit. Spiritus enim ille cœlestis superuenit in uirginem, quę uirtute altissimi obumbrata sanctum illum enixa est fœtum, absq; uel peccati uel concupiscentiæ macula, nullo prorsus uirginitatis accepto detrimento, quo minus & ante partum, & in ipso partu, atq; etiam post partum, perpetua uirgo & sine omni labe permanserit.

Christus de spiritu sancto conceptus.

Luc. 1.

Maria semper virgo.

QVARTVS ARTICVLVS.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferna.

HIC ARTICVLVS nobis in memoriam reuocat haud exiguam euangelicæ historiæ partem, idque potissimum de Christi seruatoris nostri uita & morte. Qui postquam (ut in proximo articulo dictũ est) de uirgine matre natus in mundo apparuit, uitam in terris cum cęteris hominibus peregit, donec

Summa uitæ Christi.

donec annum attingeret ætatis ſuæ trigeſimum tertium. Quo temporis interuallo, maximas ac plurimas noſtræ ſalutis & exempli cauſa moleſtias, dolores atq; afflictiones ſuſtinuit, in labore, abſtinentia, paupertate, ærumna atq; ignominia degens: nec quicquàm erat tam durum aut acerbum, quod ille, ut noſtræ redemptionis ac ſalutis opus abſolueret, non libenter ſuſciperet. Et cum interim deus eſſet, omnibus tamen humanæ naturę conditionibus ac miſeriis (præter peccatum & ignorantiam) factus eſt obnoxius. Hebr. 4.

SED ô cæca Iudaici populi corda, ô gentem deo ſemper ingratam ac rebellem. Nam hic Ieſus dominus noſter, quàm uis per omnem ſuam ætatem, ſumma uitæ puritate ſummaq; innocentia uixit, perfectamq; tũ dei tum hominum legibus obedientiam ſemper præſtitit, adeo ut in omni ipſius uita nihil eſſet, quod uel alios merito offendere, uel à quoq̃ iuſte culpari poſſet (Imò uero quid non maxime probari debuit in eo, qui uere iuſtus ipſaq; adeo iuſtitia fuit?) Iudæi tamen quorum pectora odio & furore diabolus impleuerat, ac cæcitate obduxerat, obſtinatis animis innocenti perniciem molientes, eum è medio tollere modis omnibus contenderunt.

Chriſti ſuppliciũ.

QVI tandem, cum ipſi uiſum erat ut ſeſe in illorum manus uolens daret, inito de ipſius morte conſilio, eum ceperunt, et capto, ſubornatis falſis teſtibus, mortis crimen intentantes, poſt flagra et ſputa atq; omnia probrorum et cõtumeliarum genera, uinctum adduxerunt ad Pilatum Iudeæ præſidem, ac Hieroſolymis tum agentem, Romani Cæſaris miniſtrum ac legatum: apud quem falſo illum accuſabant, clamantes hominem eſſe blaſphemum, ſeditioſum, impoſtorem, reip. corruptorem et leſæ maieſtatis reum. Quibus illatis criminibus, à Pilato militibus traditus eſt, ut flagris cederetur. At illi coronam è ſpinis contextam capiti imponentes,

ponentes, postquàm ad satietatem ludibrio illum habuissent, ac uario cruciatu indignissime uexassent, tandem ad mortem crucis teterrimam (quod tunc temporis apud Iudęos supplicij genus erat maxime fœdum & execrabile) tanq̃ sceleratum & facinorosum, iudicis sententia publice damnatum, impactis in manus ac pedes clauis, in crucem egerunt: eum medium inter duos latrones in monte Caluariæ suspendentes. Cuius demortui corpus, ut è cruce deponeretur ac sepulturæ traderetur, à Pilato Ioseph Arimathiensis (qui discipulus erat Iesu) opera impetratum est. Quod deinde corpus, adiuuante Nicodemo, alio etiam Christi discipulo, syndone munda inuolutum, sepulchro è lapide exciso, in quo nemo ante positus fuerat, est illatum.

Christi descensus ad inferos.

IAM VERO quid mortuus egerit dominus Iesus, tum cum corpus eius exanime in sepulchro iaceret, scripturæ sacræ testantur, quæ docent eum spititu ad inferos descendisse, & solutis inferni doloribus, quibus impossibile erat ipsum teneri, mortis atq; diaboli tyrannidem, quam à primorum parentum lapsu in omne mortalium genus exercebant, fregisse ac sustulisse. *Act. 2.*

Christus redemptio & exemplum nobis.

HAEC ubi diligenter ex hoc articulo recordati fuerimus, aduertendum & hoc etiam, atq; animis nostris imprimendum est: nempe Christum ipsum, ut mitissimum agnum se ultro pro nobis offerentem, has omnes acerbitates & tormenta, non solum sua sponte pro nobis redimendis patientissime tulisse, sed eadem exempli nobis relinquendi gratia patienter sustinuisse, quemadmodum insignis Christi passionum testis Petrus in priore sua epistola scribit dicens: Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius. Sunt autem hæc uestigia, humilitatis, paupertatis, beneficentiæ, tolerantiæ, & immensæ demum charitatis exempla, quibus ille nobis uiam strauit ad

1. Pet. 2. Vestigia Christi.

immortalitatẽ. Quoties ergo animos noſtros ſubierit mortis Chriſti recordatio, danda opera nobis eſt (niſi ſerui & inutiles & ingrati eſſe uelimus) ut cruce in humeros alacriter ſublata, eum ſequi feſtinemus atq; (ut Paulus hortatur) extra caſtra cũ illo exeamus, improperium eius portantes, fugientes quę in mũdo eſt peccati corruptionem, & carnem cum uitijs & concupiſcentijs crucifigentes, membra noſtra terrena aſſidue mortificantes: unum hoc pro certo habẽtes perſuaſum, quiſquis peccatũ ex animo nõ odit ac deteſtatur, ſed legis dei uiolationẽ ceu rem leuẽ & exigui momenti parui facit, eũ etiam Chriſti mortem ac paſsionẽ (quam preciũ humanę redẽptionis pater eſſe uoluit) turpiter uilipendere, ac nihili æſtimare, utpote qui ſanguinem teſtamenti in quo ſanctificatus eſt, ceu rem prophanam habere non uereatur.

Heb. 13. 2. Pet. 2. Gal. 5. Coloſſ. 3.

Heb. 10.

QVINTVS ARTICVLVS.

Tertia die reſurrexit à mortuis.

OSTENDIT HIC articulus magnificam uictoriam Chriſti, & glorioſum triumphum de diabolo & morte. Expoliauit enim principatus ac poteſtates, & deuicta ac ſubacta ſatanæ tyrannide, corpus ſuũ quod mortuum erat, tertia die reſumpſit, atq; ita è ſepulchro rediuiuus, idem ipſe qui natus pro nobis ac mortuus eſt IESVS CHRISTVS, ſurrexit non imaginario recepto corpore, ſed eodem illo quod ex uirgine matre natum eſt, & cruci affixum.

Chriſtus uero corpore ſurrexit.

POST hanc uero à morte reſurrectionem, diebus quadraginta in terris moratus eſt. Quo temporis ſpacio, frequenter ſe diſcipulorum ſuorum oculis conſpiciendum prębuit; quibuſcum etiam, non ſolum familiariter cibum ca-

pere,

pere, sed colloquio etiam suo eos de regno dei instruere dignatus est. Quibus postremo euangelij per uniuersum mundum prædicandi authoritatem tradidit, iussitq; ut palam omnibus annunciarent, ipsum esse uerum illum Christum ac Messyam, uerum item deum simulac hominem, illum unicum orbis seruatorem in scripturis promissum, qui omnibus in ipsum uere credentibus, & mandatis eius obtemperantibus, salutem ac uitam æternam daturus sit.

Resurrectionis fides.

HAEC resurrectionis fides si in animo conseruetur, in omnibus aduersis rebus & calamitatibus, maximum fructū affert, & longe uberrimam consolationem. Quæ enim mala hominem pium & uere christianum deterrere aut exanimare possint, si hic articulus resurrectionis Christi, animo eius obuersetur: præsertim cū sciat, quemadmodū Christus à mortuis excitatus est, ita se quoq; aliquando resurrecturū.

HAEC resurrectionis fides, pijs omnibus ac dei cultoribus, unica est uictoria aduersus diabolum, infernum ac mortem, estq; præcipuum remedium auertendi ac propulsandi omnes terrores: quandoquidem certi sumus mortis uim uniuersam Christo resurgente ita fractam esse, ut nihil possit nobis detrimenti afferre.

QVEMADMODVM enim Christum mors detinere non potuit, ita nec nos qui Christi membra per fidem sumus, perpetuò detinebit: sed resurgemus, ac in gloria æterna cum Christo immortales uiuemus: si tamen in hac mortali uita præceptis illius obsequi pergamus.

Spes uitæ futuræ christiani consolatio.

HVIVS præterea nostræ ad gloriam resurrectionis uel sola spe muniti, omnes huius seculi afflictiones moderate ferre, nec ob ullas aduersitates animo deijci, aut frangi debemus: certo scientes, si hic (ut sæpe dictum est) pie uiuere in CHRISTO fategerimus, post hanc breuem miseramq; uitam, aliam & longe meliorem, & infinitis partibus optabilio

biliorem, nobis supereſſe. In hanc ſententiã Paulus ad Co-
1. Cor. 15. rinthios ſcribens, ait: Si in hac uita tantum in Chriſto ſpe-
rantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.
Nunc autem Chriſtus, qui à mortuis reſurrexit, alteram re-
De uerbis a- poſtoli. ſer. ſtare uitam oſtendit, quam tandem aliquando aſſequi Chri-
134. ſtiani omnes ſperant. Itaq; Diuus Auguſtinus affirmat to-
tam ſpem religionis chriſtianæ, in reſurrectionis gloria eſſe
Heb. 11. poſitam. Hæc ſpes fuit iuſtorum, quos Paulus numerat
undecimo capite ad Hebræos, non ſuſcipiebant (inquit) re-
demptionem, ut meliorem inuenirent reſurrectionem.

DE HOC fidei noſtræ articulo, qui Chriſtum à mortuis
reſurrexiſſe docet, uaria ex ſcripturis utriuſq; teſtamenti loca
Roma. 4. in promptu ſunt. Paulus ad Rom. quarto. Reſurrexit (in-
2. Tim. 2. quit) propter iuſtificationem noſtram. Et ad Timotheum.
Apoſtoli te- Memor eſto Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis. Inſi-
ſtes reſurrecti gne hoc apoſtolorum, inter cætera officij ſui nomina præ-
onis. conium fuit, q; dicti ſunt teſtes reſurrectionis Chriſti.
Act. 1. 13. HVIVS articuli fidem, Chriſtus ipſe poſt reſurrectio-
nem ſuam diſcipulis frequenter apparens, in illorum cordi-
bus confirmandam diligenter curauit. Quam illi poſt ceu
ſingularem doctrinæ chriſtianæ articulum, & omnibus ne-
ceſſario credendum (utpote in quo præcipua uere in Chri-
ſto credentium cõſolatio conſtituta eſt) in omnibus ad po-
pulum concionibus, ubiq; ac ſemper ſtudioſe inculcabant.

POSTREMO non hoc tantum docet hic articulus, nos
Chriſti exemplo à corporis morte tandem reſuſcitandos
eſſe, ut prius explicatum eſt: ſed monemur etiam per reſur-
Roma. 6. rectionem Chriſti, ut quemadmodum ille à mortuis reſur-
Reſurrectio gens iam non moritur, ſed uiuit deo (ut apoſtolus inquit)
à peccatis. Ita nos per illius gratiam, peccatis & terrenis cupiditatibus
mortui, in uitæ nouitate ambulemus, atq; in iuſtitiæ & pie-
tatis ſtudio perpetuo uerſemur.

Arti-

ARTICVLVS SEXTVS.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram dei Patris omnipotentis.

OMINVS Ieſus poſtquàm humanæ redemptionis myſterium conſummaſſet, & ea omnia quæ ad ſalutem noſtrã pertinebant, in terris cum hominibus homo cõuerſatus, perfeciſſet: tandem poſt quadragintа dies, in conſpectu apoſtolorum ſuorum, in cœlum manifeſtus aſcendit: atq; ita corporalem ſui uiſionem & præſentiam, mortalium oculis ſubduxit.

Aſcendit autem in ipſo naturali corpore, quod ex matre uirgine ſumptum, in cruce pro nobis pependit. Quòd quidem corpus, ut erat olim humile, mortale atq; abiectum, nec non omnibus iniurijs obnoxium: Ita nunc contra factum eſt corpus immortale & glorioſum, nimirum euectum in gloriam cœleſtem, & collocatum à dextris dei patris.

Quo corpore aſcẽderit Chriſtus.

HVIVS Articuli recordatione excitari debent mentes noſtræ, atq; ad ſuperna erigi, ut quemadmodum nunc dominum noſtrum ac redemptorem in cœlos aſcẽdiſſe credimus, ita cœleſtia cogitare ac ſapere diſcamus, quo à mundanis iſtis curis, & carnalibus deſyderijs liberi & expediti, ad ſpiritus ſancti dona animis noſtris ſuſcipienda, apti ſemper & idonei eſſe poſſimus.

VBI VERO in hoc articulo additum eſt, Chriſtum ad dextram patris ſedere: nihil aliud nobis his uerbis intelligendum uenit, quàm gloriam eum habere cum patre communem, eadem potentia, maieſtate & beatitudine prædituм: ſumma donatum authoritate ac dominatione, omnibus poteſtatibus, principatibus, ac uirtutibus atq; uniuerſis

Ad dextram patris.

demum siue in terra siue in cœlo creaturis sublimiorem factum, ut pote cui nomen (ut Paulus inquit) datũ est, quod est super omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus IESVS CHRISTVS in gloriam est dei patris. Cuius in femore scriptum est. Rex regum & dominus dominantiũ. Cuius pedibus omnia subiecta sunt; qui constitutus est caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius.

Philip. 2.

Apoc. 19.

Ephes. 1.

ET quemadmodum natura comparatũ est, ut caput cæteris corporis partibus præsideat semper, atq; præstantius sit: ita Christus omnia corporis sui, id est, ecclesiæ membra, incomparabili dignitate excellit. Quicquid enim in ecclesia boni est, id à Christo eius capite transfusũ, & sponsæ suæ communicatum est. De cuius plenitudine (ut euangelista inquit) omnes accepimus, estq; ille omnium nobis bonorum apud patrem impetrator, pontifex & sacerdos noster æternus, unus mediator dei & hominũ, redemptor, aduocatus, intercessor, ac patronus interpellans pro peccatis nostris.

Christus caput ecclesiæ.

Joan. 1.

ATQVE hoc loco commode notandum esse ducimus, sanctorum intercessiones ac preces, siue eorum qui hac uita defuncti sunt, & in cœlis nũc cum Christo regnant, siue qui in terris adhuc nobiscum degunt (nam & iustos hic uiuentes sanctos uocare scripturis familiare est) horũ inquam preces, quamuis expetendæ nobis sint, deoq; gratæ & acceptæ, nihil tamen ualere nisi uirtute interpellationis Iesu Christi, qui caput est ac dominus omnium, & dilectus ille filius, qui deo patri unice complacuit.

Sanctorum preces.

Matth. 3.

HIC SOLVS est per quem sancti omnes, siue qui relictis corporibus in cœlo nũc agentes hinc decesserunt, siue qui adhuc in terris sunt superstites, accessum habent ad deũ,

ac pro

ac pro nobis & orare possiunt, & uere orant. Quapropter etiam à nobis nec immerito nec sine fructu rogantur, ut suis nos precibus apud deum subleuent, cuius rei ut nos ecclesia admoneret, iam inde ab ipsis fidei nostrę primordijs, hanc precandi formulam diligenter obseruauit, ut publicę omnes quæ ad patrem fiunt orationes, cum hac clausula finiantur, per Iesum Christum dominum nostrum: in quo uno uota nostra deo accepta sunt, & sine quo nullam orationem efficacem aut alicuius momenti esse credendum est.

IAM VERO hic articulus maximo nobis solatio esse potest, cum recordamur humanam in Christo naturam supra omnes cœlos exaltatã, & diuinæ naturæ in unitate personæ inseparabili nexu coniunctã, considere ad dextrã patris omnipotentis, æquali cum eo gloria ac maiestate prędita, ut supra dictum est. Per hæc enim certi reddimur, Christum dominum nostrũ æquali cum patre diuinitate regnare, nec ulla in re, quæ ad diuinam naturam spectat, minorem esse, ac proinde adorandum, inuocandum, timendum, necnon fide, spe & charitate colendum, ut uerum ac prępotentem deum. Qui idem ipse cum sit uerus deus, perfectus etiam homo est, nostrasq; infirmitates expertus, atq; omni genere malorum tentatus, & per omnia fratribus similis factus, ut certi simus eum & posse & uelle misericordia affici erga nos cum in tentationes inciderimus. Qui ascendit in cœlum ut per cœlestem spiritum daret dona hominibus, quibus instructi & confirmati, breuem hanc & caducam uitam in dei gratia ita transigerent, ut tandem immortalem illam & ęternam ipsius gratia & misericordia cõsequerentur.

Christus æqualis patri.

Heb. 2.

Ephes. 4.

Scpti=

SEPTIMVS ARTICVLVS.

Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Christi corpus in iudicio omnibus conspicuum erit.

INDE, HOC est, è cœlis, quo ascenderat dominus ac seruator noster, uenturus est cum gloria & maiestate, omnibus hominibus glorioſum corpus ſuum cõſpicuum exhibiturus. Quod ſpectaculum ut iuſtis ſummum gaudium ac ſolatiũ allaturum eſt: ita impijs maximo erit terrori & confuſioni. Iudicabit autem dominus uiuos ac mortuos, ſedens in nubibus, aſsiſtentibus ſibi ac miniſtrantibus angelorum myriadibus. Iudicabit porro in iuſtitia & æquitate, id eſt, ſecũdum uniuſcuiuſq; facta ac dicta, & prout unuſquiſq; geſsit in corpore ſuo, ſiue bõnum ſiue malum. Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti, de operibus noſtris rationẽ reddituri, quæ tunc non iuxta humanas imaginationes, quas ſibi homines ſine uerbo dei finxerunt, ſed ad exactam uerbi diuini regulam & amuſsim, ac iuxta purã Chriſti atq; apoſtolorum doctrinam examinabuntur ac diſcutientur.

Roma. 14.

Viui & mortui iudicabũtur.

HOC SVPREMO mundi die, mortales omnes tum uiui tum mortui, hoc eſt, tam ij qui tunc temporis uiui deprehendentur, quam illi qui ab orbe primum condito aliquando uixerint, receptis corporibus iudicio ſiſtentur. Quibus ita congregatis æquiſsimus iudex Chriſtus, pijs quidem ſalutarem ac gaudij plenam, impijs uero terribilem proferet ſententiam. Reddetur enim tunc omnibus qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionẽ quęſierunt, uita æterna: contentioſis autem, & ijs qui noluerũt obtemperare ueritati, merces erit æterna

Roma. 2.

damnatio,

damnatio. In hoc iudicio perfecta erit ſeparatio ouium ab hædis, & tritici à palea, hoc eſt piorũ ab impijs. Et pij quidem quos CHRISTVS à dextris ſuis ſtatuet, à diaboli & impiorum poteſtate tunc penitus liberati, maliſq; omnibus ac doloribus æternum ualere iuſsis, in cœlum cum CHRISTO felices aſſumentur, ſempiterna illic tum corporis tũ animæ beatitudine fruituri, regnumq; percepturi, quod ipſis paratum fuit à conſtitutione mundi. Impij uero à ſiniſtris locati, qui æternis gehennæ ſupplicijs à iudice CHRISTO addicentur, in ignem illum inextinguibilem diabolo & angelis ſuis paratum miſeri detrudentur: ubi pœnas horribiles nec unq̃ finiendas & corpore & animo luituri ſunt.

Matth. 25.
Matth. 3.
Matth. 25.

IAM ISTVD hoc in loco diligenter perpendendum eſt, articulum hunc de ſecundo CHRISTI ad iudicium aduentu, poſt priores illos de CHRISTI morte ac reſurrectione articulos, ſtatim ſubiunctũ eſſe: cum ob alias haud leues cauſas, tum præcipue ut poſt commemorata lęta illa in nos CHRISTI beneficia, animus Chriſtianus mentione iudicij perculſus, timorem conciperet, nec in ſecuritatem & præſumptionem ex tanta gratia confidenter exiret, ſed iudicij memoriam ſemper mente circumferens & præ oculis habens, nequando æternæ illius cõdemnationis ſententiæ obnoxius fieret (interim dum bene operandi tempus datur) etiam atq; etiam ſibi proſpiceret. Certum enim hoc & fixum manet, mortales omnes qui fuerunt, ſunt, ac erunt, ineuitabile hoc iudicium ſubituros eſſe, atq; apud tremendum CHRISTI tribunal rationem pro ſe reddituros.

Memoria iudicii utilis.

QVANDO autem, quo tempore, aut quo die iudicium hoc futurum ſit, non modo cunctis plane hominibus (uti Chriſtus affirmat) ſed ipſis etiam angelis incognitũ eſt. De illo (inquit) die nemo nouit, &c. futurum autem aliquando, tempore à deo conſtituto, & ipſi ſoli cognito certiſsimũ eſt.

Matth. 24.

POSTREMO, quemadmodum certo certius est, nos omnes morti obnoxios esse, & aliquando morituros, licet mortis suæ atq; exitus ab hac luce tempus nemo sit qui sciat: Ita de extremo sane iudicio, certi sumus illud aliquando esse futurum, & si tempus aut horam qua futurum sit, omnino ignoremus. Sic enim patri cœlesti uisum est, pro sua erga nos charitate nobis ista occultare: quo tum supremi illius diei, tum mortis nostræ expectatione suspensi ac solliciti, maiorem nostræ salutis curam haberemus, & in timore dei persistentes, summa cura, studio ac uigilantia, assiduè contenderemus sobrie, iuste & pie uiuere, parati semper & accincti in aduentum domini. Qui nos in euangelio ita præmonuit, dicens: Nescitis qua hora dominus uester uenturus sit. Estote ergo parati.

Iudicium extremum cur nobis occultatum

Math. 24.

OCTAVVS ARTICVLVS.

Credo in spiritum sanctum.

PROFITEMVR hoc articulo nos credere in spiritum sanctum, qui est tertia persona in trinitate, qui uerus deus ac dominus est, author item atq; plasmator rerum omnium, qui à patre filioq; procedit, cum quibus eiusdem est naturæ, substantiæ, æternitatis, omnipotentiæ, uirtutis, eiusdemq; omnino diuinitatis, ac proinde cum patre filioq; similiter colendus & adorandus.

Spiritus sanctus.

HIC SPIRITVS dei uere SANCTVS est, imo sanctitas ipsa, totiusq; sanctimoniæ ac puritatis fons. Qui ut una cum patre ac filio, gratiarum omnium ac spiritualiũ donorum largitor unicus, ita & sanctarum omnium cogitationum

tationũ inſpirator eſt aſsiduus, ſine cuius uirtute ac energia, nec boni quippiã animo concipi, nec ſpiritus immũdus ex hominum cordibus profligari, nec mentes deniq; peccato infectæ, ac deprauatæ, corrigi unq̃ aut ſanari poſſunt.

PER HVNC efficitur omnis purgatio peccatorum, totaq; hominis iuſtificatio, adeo ut nec deo reconciliari, ac adoptari in filios, nec uitæ ęternæ hęreditatem aſſequi poſsimus, niſi ſpiritus iſte ſacer tum corda noſtra per fidem illuminata, gratiæ ſuæ dono ad ueram pœnitentiam excitet: tũ inſtruat, moderetur ac dirigat, ſuasq; nobis dotes & chariſmata (quibus ad gloriam æternam aſſequẽdam opus eſt) infundere pergat.

EST præterea hic SPIRITVS natura bonus, imo bonitas ipſa, à quo bona omnia, & uniuerſa ſpiritualia dona procedunt: nempe ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, pietas, ſcientia, timor domini, fides, ſpes, charitas, modeſtia, continentia, & breuiter quicquid eſt ueræ uirtutis nomine cenſendum.

Spiritus bonus.

Spiritus. s. dona.

HAEC OMNIA ſpiritus dona, iuxta ipſius uoluntatem, gratis & ex ſola eius bonitate hominibus conferuntur. Nec quiſquam eſt qui uel hæc dona ſibi cõparare, uel comparatis recte uti, niſi ipſo donante poſsit. Nec uero eadem dona omnibus, nec æqualiter conferuntur, ſed unuſquiſq; ſuum donum habet à deo iuxta propriam uirtutem, & ea menſura quam nouit ipſe qui dator eſt, eccleſiæ ſuæ maxime profuturam, in cuius præcipue communem utilitatem, hæc omnia hominibus à deo impertiuntur.

1. Cor. 7. Matth. 25.

AD hæc SPIRITVS iſte SANCTVS natura ſua ſpiritus eſt dilectionis, imo ipſa dilectio ſeu charitas. Hic præterea SPIRITVS uinculum illud eſt, quo uniuerſa eccleſiæ membra, mutuæ charitatis nexu inter ſe iuncta & coagmentata cohærent, ac ſe inuicem ſuſtinent.

Spiritus ſanctus, charitas

Eccleſiæ uinculum.

Spiritus ueritatis.

POSTREMO hic SPIRITVS dicitur Spiritus ueritatis, utpote qui author est totius canonicæ scripturæ, atq; adeo uniuersæ ueritatis. Quicquid enim ueræ scientiæ de diuinis rebus uel patriarchæ, uel prophetæ, aut apostoli, aut ulli unquam homines habuerunt, id omne huius ex spiritus afflatu profectum est. Hic est qui apostolorum pectora inuisibiliter penetrans, uisibili ignearum linguarum specie capitibus illorum insedit: quiq; linguas eorum atq; animos cœlesti doctrina imbuens, idoneos fecit euangelij prœcones, ut omni ueritatis scientia instructi, & uirtute cœlesti prædit, signis ac prodigijs euangelij prædicationem confirmarent. Act. 2.

Spiritus sanctus ecclesiæ gubernator.

HIC SPIRITVS ad ipsam usq; seculi consummationem in ecclesia Christi manebit, cui archana omnia & mysteria cognitu necessaria nō modo reuelabit, sed etiam dux, gubernator, ac sanctificator perpetuus existet, omniumq; charismatum & donorum, quibus ecclesiæ opus erit distributor. Hic etiam Spiritus propterea quòd remissionis peccatorum & omnis consolationis largitor sit: PARACLETVS dicitur, ut qui non internis tantum & secretis aspirationibus, sed externo etiam diuini uerbi ac sacramentorum usu, mœrentes animos consolatur ac recreat. Paracletus.

Dona a tribus personis dari.

POSTREMO haud ignorandum est, hec omnia quę recensuimus dona, nempe peccatorum remissionem, iustificationem, sanctificationem, & cętera id genus salutis nostrę præsidia, quę nobis Christus promeruit, quamuis ea haud immerito scriptura sacra spiritui sancto adscribat, nihilominus tamen à tota trinitate proficisci, ac nobis impertiri. Ad hunc enim modum & patri potestas, & filio sapientia in scripturis tribuitur: cum hæc tamen æqualiter omnium personarum in illa sanctissima triade esse constet.

Nonus

NONVS ARTICVLVS.

Sanctam ecclesiam catholicam.

POST PRIORES octo articulos, ex quibus agnoscimus dei potentiam in rerū creatione, & clementiam ac charitatem in nostra redemptione, una cum spiritus sancti donis & muneribus, sequitur & hic nonus articulus, quo testamur nos formam rationemq; credere, qua nos ad salutem uocat deus, sueq; gratię participes reddit.

VOCAT autem non occulto tantum & interno tractu, secretoq; spiritus sancti impulsu (quem semper modum adhibere ad uocandos homines consueuit) sed una cum hac uocandi ratione, aliam etiam externam & manifestam instituit, nempe per uerbi sui prædicationem. Cui uerbo qui credunt homines, & per fidem ac baptismi sacramentū in Christo regenerantur, ECCLESIA in scripturis dicuntur. Quæ uox cœtum hominum significat, à cæteris infidelibus siue ethnicis siue Iudæis euocatum, ad eandem tum fidem tum confessionem christiani nominis. Quanquàm autem ecclesiæ uocabulum pro templo interdum usurpatur, monendi tamen sunt imperitiores, ut hic per ecclesiæ nomen non orationis locum intelligant, sed uniuersam illam populi christiani multitudinem, ad eiusdem fidei & religionis christianæ professionem (ut diximus) euocatam, ita enim ecclesia in hoc articulo accipienda est.

Vocatio interna & externa

Ecclesia.

HAEC autem ecclesia dicitur SANCTA, non q; ex iustis tantum & perfectis, in quibus nulla est peccati macula constare existimanda sit. Nam & peccatores, & pœnitentes multosq; etiam alios iuxta dei præscientiam iam perdi-

Ecclesia sancta

tos & deploratos, in hac ecclesia contineri quis nesciat?

Math.13. Quocirca CHRISTVS eam sagenæ comparat, quæ pisces tum bonos tum malos complectitur. Sed ideo ecclesia hęc SANCTA dicitur, quòd Christiani omnes qui ecclesiam constituunt à sancto deo per sanctum eius spiritum & uerbum, ad sanctimoniã & uitæ puritatem uocentur. Quapropter & si maior pars hominum in ecclesia degentium, uitijs ac peccatis obnoxia sit, nihil tamen id prohibet, quo minus ecclesia uocetur sancta, nimirum uel à fine & professione, uel à sanctitate capitis sui Christi, qui & ille SANCTVS DEI EST, & SANCTVS SANCTORVM, quiq; suam sanctitatem membris ipsi fide & charitate adhærentibus, per sanctum suum spiritum, qui in ecclesia perpetuo residet, impertiri non cessat.

PORRO cum humani generis amator deus, omnes promiscue homines absq; respectu personarum aut locorũ, ad hanc suam ecclesiam inuitet ac uocet, idcirco ea etiam

Catholica. CATHOLICA, id est, uniuersalis appellatur, nempe quia nec uni regioni aut sedi affixa, nec uno orbis loco circumscripta est, sed ubiq; per uniuersum mundum diffusa, omnes complectitur, qui ad fidem diuina benignitate uocati, nomen domini Iesu Christi inuocant ubicunq; terrarũ aut locorum degant, siue Africa ea sit, siue Asia, aut Europa.

Ecclesia catholica una. ET QVAMVIS diuersæ per orbem ecclesiæ, diuersis nominibus ac titulis distinctę sint, & diuersos pro cuiusq; ecclesiæ commodo, ministros, præsides, ac capita in terris habeant, omnes tamen non nisi unam constituũt ecclesiam catholicam, ab uno uidelicet patre cœlesti uocatæ, & ab uno domino ac seruatore Iesu Christo redemptæ, & ab uno demum spiritu sancto gubernatæ ac conseruatæ, in ueræ fidei & apostolicæ doctrinæ unitate.

IAM hæc uniuersalis siue CATHOLICA ecclesia dũ

hic in

hic in terris militat, dei uerbo & sacramentis alitur ac confirmatur, quæ in omnibus sane locis uim suam & efficaciam à deo inditam habent, & gratiam ea rite suscipientibus ubiq; conferunt.

QVAE CVM ita habeant, facile est cuiuis intuenti & consideranti hanc multitudinem ecclesiarũ, quæ per orbem dispersæ, magno locorum interuallo à se diuisæ sunt, existimare, illarum unitatem non in hoc consistere ac positã esse, ut uni alicui in terris capiti subiectæ sint. Neq; enim uel catholica tota in unũ collecta, uel particularis aliqua ecclesia, ullum aliud uniuersale caput agnoscere tenetur, q̃ CHRISTVM. Quanq̃ profecto negari non potest, quin partim permissu principum quorundam, non satis instructorũ dei uerbo (illorum scilicet culpa quorum officium fuerat scripturarum ueritatem illis exponere) partim etiam hypocrisi, ambitione, & malis artibus Romanæ curiæ factum sit, ut illius sedis episcopi, iam per aliquot ętates secularibus negotijs suóq; commodo & gloriæ, magis quàm pastorali officio intenti, eiusmodi uniuersalem in ecclesia dominationem occupauerint, & eam sibi modis omnibus cõfirmare ac stabilire conati sint, aliosq; etiam, quãtum fieri potuit, ad eandem potestatem tuendam sollicitarint atq; induxerint. Cum tamen eiusmodi uniuersalem principatum ad se pertinere, nec communi antiquorum scriptorũ suffragio, nec uniuersalis ecclesiæ consensu, nec sacrarum deniq; literarum testimonio, probare unq̃ potuerint: quemadmodum à nobis quum ad ordinis sacramentum perueniemus, copiosius demonstrabitur.

Ecclesiæ uniuersale caput solus Christus

Roma. sedis episcopi.

Ecclesiæ unitas non pendet à Ro. pontifice.

SED VT ad ecclesiæ unitatem redeamus, nequaq̃ hæc, uniuersali illa (quam sibi arrogat) Romani pontificis authoritate aut lege conseruatur: sed spiritus sancti (quem Christus ecclesiæ se missurum promisit doctorem) gratia & assi-

Ioan. 16.

stentia,

ſtentia, dum eccleſia eo ſpiritu gubernata, rectam fidem & religionem Chriſti puram tuetur & obſeruat, nec à ſyncera illius doctrinę, quæ ſcripturis ſanctis prodita & ab apoſtolis tradita eſt, ſe unq̃ abduci ſinit. QVAM quidem puram doctrinam, particulares omnes eccleſię uno conſenſu amplecti & colere debent, nec in eadem unq̃ aut lucri aut glorię cauſa, aut ulla deniq; alia carnis aut mundi ſuggeſtione, à ſe inuicem diſſidere. ATQVE hinc etiam eſt, q; quęcunq; in orbe terrarum eccleſia, doctrinam illam profitetur & ſeruat, quam apoſtoli à Chriſto acceptam, orbi prædicarunt ac tradiderunt, ea merito apoſtolica exiſtimari ac iure uocari poſsit: cum & apoſtolorum doctrinam inſtitutaq; ſequatur, & rectam ſacramentorũ adminiſtrationem teneat.

Apoſtolica eccleſia quæ dicenda.

NEQVE uero hanc unitatem quicq̃ lędit uel loci diſtantia, uel uarietas ceremoniarum ac traditionum, quę propter decentiorem eccleſiarũ ordinem ac adminiſtrationem, aliæ apud alias inſtitutæ ſunt. Vna enim in Chriſto fuit Epheſiorum eccleſia cum ea quæ tunc temporis erat Corinthi, & ſi tum loci interuallo, tum rituũ, ceremoniarum ac opinionum fortaſſe diuerſitate inter ſe diuiſę fuerũt. Ad quem modum eccleſia Britannica ab Italica aut Hiſpanienſi (quod ad fidei unitatem ſpectat) ſeparata non eſt, quamuis pręter locorum interualla, conſtitutionibus quibuſdam, ſententijs ac decretis, non per omnia inter has eccleſias conueniat.

Ex ceremoniarum aut traditionum uarietate non impediri unitatem eccleſiæ.

Nec nos latet, quaſdam eccleſias erga ſua inſtituta & traditiones maiore quàm par eſt zelo affici, ac ſuum iudicium cęteris eccleſijs præponere. Exemplo eſſe poteſt Romana eccleſia, quæ nonnulla decreta ſuorum pontificum uerbis diuinis æquare haud formidat, & eos qui eiusmodi decreta non ſeruant, nõ minus reos mortalis peccati iudicat, quàm qui prędecepta dei uiolant. Quam nos ſane opinionem, cum ſit à ſcripturis multum aliena, probare non poſſumus. Hęc autem

autem opinionum diuersitas, aut uarium in externa ecclesiarum administratione, de rebus quæ ad ecclesiæ politiã spectant, iudicium: haudquaq; illud de quo iam agimus unitatis uinculum rumpit ac dissoluit, dum sana de Christo & sacramentis fides, dum charitas, dum doctrinæ puritas in singulis ecclesiis conseruatur: quas constat inter se ita esse pares, ut ne ulla quidem illarum, quicq; sibi in aliam potestatis diuina lege uendicare, uel possit uel debeat.

Ecclesiæ omnes lege diuina pares.

QVARE ecclesia Romana cum particularis tantum ecclesia sit, cæteras omnes christiani orbis ecclesias ingenti tũ iniuria tum contumelia afficit, q; ecclesię CATHOLICAE nomen sibi uni iniuste ac uiolenter usurpet: quum reuera nihilo plus iuris habeat in hoc nomine sibi assumendo, quam ecclesia Gallica, Hispaniensis, Anglicana. Nam & hæ particulares ecclesiæ, quatenus eandem catholicæ fidei professionem in uinculo charitatis seruant, merito catholicæ appellantur: quæ tamen seorsum singulæ non sunt illa catholica uniuersalis ecclesia, quam credere hoc articulo profitemur, sed illius partes ac membra, & si singulæ separatim (ut ante dictum est) catholicæ uocari rectissime queant.

Ro. ecclesia iniuria afficit cæteras ecclesias.

HANC itaq; pontificiæ dominationis & principatus usurpationem, quum euangelij authoritate haudquaq; niti apertissimum sit, mirum tamen est, quanta semper Romani pontifices contentione laborarint, ut quamlibet falsa & contorta scripturarum interpretatione, contra manifestam antiquorum doctorum sententiã (id q; in grauem nõ huius Anglicanæ tantum, sed aliarum etiam omnium ecclesiarum iniuriam) eam sibi assererent & confirmarent. Apud deum certe loci respectus nõ est, nec Romanam ille ecclesiam maiore primatus prærogatiua quàm aliam quamuis ecclesiam donauit, sed æqualiter omnes absq; ullius loci respectu, ad eandem in terris gratiæ communionem, & in cœlis gloriæ

Deus non est acceptor personæ uel loci.

consortium uocauit.

PORRO hic Articulus de Catholica ecclesia, quemadmodum in piorum omniũ animis, tum amorem quendam ac studium in ecclesia permanendi exuscitat, tum metum incutit ne peccando mereantur ab eadem eijci, extra quam sciunt nec remissionem peccatorum nec salutem esse: ita ijs qui à peccatis resipiscunt, multam consolationem ac spem affert, peccatorum ueniam assequendi, quæ passionis Christi uirtute & recta sacramentorum administratione, omnibus in ecclesia uere pœnitentibus offertur & exhibetur.

Extra ecclesiam non est salus.

EST AVTEM memoria tenendum, cum hæc nostra Anglicana, & aliæ particulares ecclesiæ, in quibus Christi nomen uere colitur & inuocatur, partes ac membra sint illius uniuersalis atq; catholicæ, & pro eo q; rectam de Christo fidem iuxta scripturas & apostolicam doctrinam in spiritus unitate profiteantur ac teneant, unaquæq; earum merito possit ecclesia catholica appellari: Vnumquemq; Christianum hominem oportere ecclesiam in qua uitam degit, hoc honoris & obseruantiæ studio prosequi, ut ei credat ac obtemperet, eiusq; iudicio se submittat. Neq; enim quid in alijs sit ecclesijs usitatum, curiosius à nobis disquirendũ, sed quid in ea in qua nos habitamus, cuiusq; membra & filij sumus imitandum proponitur, respiciendum est. Ita nanq; uerę humilitatis et modestię, quæ charitatis & fraternę pacis mater est, studiosos esse nos declarabimus, & unitatis ecclesiasticę seruandæ cupidos.

Ecclesiæ particulares quomodo catholicæ dicantur.

ET quemadmodum domino nostro Iesu Christo, ceu soli ac unico uniuersalis et catholicę ecclesię capiti ac domino, christiani omnes tam sacerdotes q̃ laici credere, parere, summumq; honorem deferre tenentur: Ita reges & principes christianos, qui post ipsum summi & primarij sunt in particularibus ecclesijs gubernatores, in maximo honore habere,

Christus solus uniuersalis ecclesiæ dominus & caput.

habere, eisq; ſubijci et obedire, tanq̃ ſupremis in terra & populorum & eccleſiarum poſt deum capitibus, apertiſsime omnes in ſacris literis iubemur.

Reges et principes, eccleſiarum capita in terris.

QVORVM etiam hoc intereſt, non ſolum quę ad publicam ſubditorum quietem ac commodum ſpectant, in ijs quæ huius mundi ſunt, proſpicere & prouidere: ſed curare etiam ac efficere, ut in eccleſiis idonei miniſtri conſtituantur, qui plebem in recta pietatis doctrina ſynceriter informare & uelint & poſsint. Atq; in ſumma ad Chriſtianos principes ſpectat, modis omnibns eniti ac operam dare, ut ubique in ditionibus ſuis ad ſubditorum ſalutem & dei gloriam, uera religio et cultus dei quàm ſanctiſsime obſeruentur.

Principis in eccleſia dei munus.

DECIMVS ARTICVLVS

Sanctorum communionem, Remiſsionem peccatorum.

HOC ARTICVLO commemorantur duo maxima beneficia, quæ in eccleſia catholica omnibus Chriſti nomen uere profitentibus exhibentur: nempe ſanctorum cõmunio, & remiſsio peccatorum.

EST autem communio ſanctorũ mutua participatio & communis fructus omnium donorum, ſuffragiorum, & quorumuis bonorum operum, quæ quidem omnibus pijs qui in eccleſiæ ſocietate degũt, communicantur. Quicquid enim gratię aut doni, ulli eccleſię membro collatum eſt, id omnibus inſeruit, & per omnes corporis partes ita diffunditur, ſicut diuinæ benignitati diſpenſare uiſum fuerit: ut nullum tam abiectum ſit aut contemptibile membrum, quod non aliquid inde commodi percipiat,

Communio ſanctorum.

modo ab hac ecclesiastica integritate et communione non sit resectum. Quemadmodum enim in naturali animantium corpore, membra se inuicem iuuant, & cõmuni nutrimento reficiuntur ac uiuunt, nec in potestate est membri alicuius ut uel se tantum nutriat, uel quo uelit pro suo arbitrio alimentum transmittat, sed secundum corporis naturam, unumquodq; membrum, quod sibi commodum est, haurit attrahitq; : ita in mystica illa societate fidelium ecclesia (quę est corpus Christi) ea est membrorum et partium omnium inter se connexio, ut sibi inuicem subsidio atq; auxilio sint, et mutuam in se utilitatem, ui et efficacia spiritus cœlestis, (quo compacti sunt et conglutinati) transfundant.

Corporis mystici & naturalis analogia

NEC VERO ullius hominis opus est authoritate, ut cõmunionis huius thesaurum dispenset, aut pro suo arbitrio applicet, unusquisq; enim in ecclesia manens, iuxta fidem suã & charitatem illius particeps efficitur, quatenus ad salutem suam & ecclesiæ ædificationem conducibile esse nouit deus.

Thesaurus ecclesiasticæ cõmunionis, non est in hominis alicuius dispensatione.

DOCEMVR itaq; hoc articulo, ecclesiæ suffragia, preces & merita haudquaq̃ contemnere, sed optare & magnifacere, cum inde uere credentibus magnum fructum peruenire manifestum sit.

QVONIAM autem eucharistiæ sacramentum, in quo diuini uerbi uirtute sub forma panis uerum adest corpus & sanguis CHRISTI, communionem digne recipientium cum CHRISTO tam corpore q̃ spiritu operatur, & mutuam etiã inter christianos charitatis unionem efficit: propterea non absurde quidam eruditi et pij, sanctorum cõmunionem eucharistiam interpretati sunt.

Eucharistia.

IN ALTERA huius articuli parte quæ remissionem peccatorum proponit, profitemur nos credere, peccata in ecclesia condonari beneficio mortis Christi, per sacramenta de quibus suo loco dicturi sumus.

Arti-

ARTICVLVS VNDECIMVS ET DVODECIMVS.

Carnis resurrectionem & vitam æternam.

IN HOC articulo nos credere profitemur, omnium hominum siue bonorũ siue malorum corpora in extremo iudicio resuscitanda, et quamuis in puluerem caro fuerit reuersa, eadem tamen illa, quam nunc gestamus, caro de morte et puluere reuocabitur, integráq; ac nulla parte diminuta, animæ suæ coniuncta prodibit ad iudicium, ubi de ijs, quę gessimus in corpore sententiam omnes sustinebimus. Et si quidem tunc digni habiti fuerimus stare ante filium hominis, perfectam et plenam corporis nostri redemptionẽ percipiemus, æternamq; ab omni miseria, seruitute et corruptione libertatem et gloriã consequemur. Non amplius peccatũ infestabit, non caro aut Satan, aut ullus hostis amplius uexabit, sed absolutæ et animę et corporis beatitudine, immortales iam facti, perpetuo fruemur. Resurrectio.

HVIVS æternæ felicitatis gaudium, et si animo comprehendi aut oratione exprimi non potest (iuxta illud, Nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt &c.) tamen ad spem nostrã excitandam, scriptura qualemcunq; illius imaginem pluribus locis nobis describit. 1. Cor. 2. Esai. 64.

Apud Esaiam legitur, Lætitia sempiterna super caput illorum, gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. Et in apocalypsi, Qui sedet in throno habitabit super illos, non esurient, neq; sitient, nec cadet super illos sol neq; ullus æstus, quoniam agnus in medio throni est, reget il- Esai. 35. Apoc. 7.

Apoc.21. los & deducet eos ad uitæ fontes aquarum. Item, Abſterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Sed quę lingua hanc felicitatem explicare poteſt? Exultabunt, inquit Cyprianus, ſancti in gloria, uidebunt deum & gaudebunt, lætabuntur, et delectabuntur, et fruentur gloria, et in felicitate iocundabuntur æterna. Ibi non guſtabunt quàm ſuauis ſit deus, ſed implebuntur & ſatiabuntur dulcedine mirifica, nihil eis deerit nihil oberit, omne deſyderium eorum Chriſtus præſens implebit. Item Auguſtinus, Quanta erit illa felicitas ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, uacabitur dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quiſquàm nec adulatione laudabitur. Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, ſed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur eſſe niſi dignus. Vera pax ibi eſt, ubi nihil aduerſi nec à ſeipſo nec ab alio quiſq̃ patietur. Prę-mium uirtutis erit ipſe, qui uirtutem dedit, eique ſeipſum (quo melius et maius nihil eſſe poſsit) promiſit. Ipſe finis erit deſyderiorum noſtrorum, qui ſine fine uidebitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur.

Cyp. ſerm. de aſcenſione Chriſti.

De ciuita. dei lib. 22. ca. 30.

Vitæ futuræ beatitudo.

DE SACRAMENTIS.

BAPTISMVS.

BAPTISMVS SACRAMENTVM est noui testamenti, ipsius domini uerbis institutũ, sic dicentis ad apostolos suos: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Cuius sacramenti effectus duplex est. Alter remissio peccatorum, Alter est gratia spiritus sancti, quemadmodum ex secundo capite actorum euidenter liquet. Ita enim eo loco Petrus, Agite (inquit) pœnitentiam, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum spiritus sancti. Qui duo effectus huic sacramento insunt, arcana & inscrutabili spiritus operatione. Habetq; hoc mysteriũ clarissimam promissionem à Christo dicente: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Quod dictum Christi de illis intelligendum est, qui susceptã in baptismo gratiam ita seruant, ut ab ea ad extremũ non excidant.

Mat. 28.

Baptismi effectus.

Act. 2.

Mar. 16.

PORRO autem cum omnes homines peccato Adę teneantur (obnoxij quemadmodũ Paulus inquit, In quo omnes peccauerunt) nec possint citra remissionem peccatorũ (quæ in baptismo confertur) uitam consequi: ualde manifestum euadit, sacramentum hoc baptismi ad salutem obtinẽdam necessarium esse, uti Christus in euangelio docet inquiens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest introire in regnũ dei. Quamobrem etiam ad omnes promiscue spectat, omnibusq; offertur, tã infantibus q̃ adultis, hos quidem & actualibus peccatis & originali illo reatu liberans, illos autem à condemnatione, in qua per peccatum primi parentis tenebantur obstricti, soluens. Quos quidem

Adæ peccatũ. Rom. 5.

Ioan. 3.

quidem infantes, quoniam eos in peccato nasci scriptura testatur, baptismi sacramento purgari, et posse et debere palam est. Cuius lauacri uirtute fit, ut paruuli per baptismũ in fide matris ecclesiæ Christo insiti, nonsolum originalis peccati uinculo (ut ante dictum est) soluantur, sed in eam etiam gratiam apud deum recipiantur, ut quamuis in ætate morientur tenera (nullo adhuc proprio ab ipsis admisso peccato) uitam æternam habituri sint.

Originale peccatum. Ephes. 2.

AC DE peccato quidem originis sciendum est, à parentibus illud in liberos perinde propagari, ac cæteras naturæ qualitates. Cuius etiam ui efficitur, ut infantes nascantur filij iræ, habeantq; ex natura originalis peccati labe uiciata, insitam ac innatam ad malum pronitatem, prauamq; cupiditatem & concupiscentiam, quæ illos sensim crescente ætate ad nequitiam mouet ac sollicitat.

Simile.

ET quanq̃ parentes per gratiam baptismi à peccato originis mundi sint: ab ipsis tamen procreatos liberos, in originali delicto concipi ac nasci credendum est. Nam quemadmodum frumenti semen quantumcunq; mũdatum & excussum, tamen in terram iactum non sine palea renascitur: ita christianorum liberi, & si parentes ob originali peccato per baptismum mundatos nacti sint, ipsi tamen à natiuitate immundi sunt, donec regenerationis lauacro fuerint abluti.

Concupiscentia.

PRAETEREA et id obiter notandum est peccatum originis, quò ad reatum aut culpę rationem, funditus per baptismum tolli, & si concupiscentia, quæ fomes dicitur, in baptizatis maneat, tanq̃ peccati pœna, & à peccato facta. Verum hæc cõcupiscentia baptismi uirtute quanq̃ non omnino extincta, ita tamen eneruata est: ut nisi obsequi & consentire propria animi inductione uoluerimus, nihil detrimenti afferre queat. Quin et nos qui per baptismum peccato mortui sumus, et Christi gratia in uitã regeniti, eiusdem

sacra-

sacramenti uirtute & efficacia facilius quàm infideles & qui baptizati non sunt, concupiscentiæ et cupiditatum incitamentis resistere ualemus.

PORRO CVM hac tempestate hæretici quidam exorti sint baptismum infantium impugnantes, animaduertendum est: uniuersalem & perpetuum consensum omnium ab initio ubiq; ecclesiarũ, quæ infãtes baptismo admouere semper consueuerũt, abunde satis ostendere ac probare, morem hunc infantes baptizandi ab ipsis apostolis usitatum fuisse, atq; ab eis ecclesiæ traditum hactenus in eadem fuisse obseruatum. Qui mos ecclesiæ pulcherrime conuenit cum apostolo ad Ephesios in hæc uerba scribente. Christus dilexit ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ. Qui locus manifeste indicat, neminem ad ecclesiæ societatem pertinere, qui baptismo non sit renatus: id quod Christi etiam sententia (quam ante citauimus) euadit perspicuum, ubi inquit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c.

Anabaptistæ.

Ephe. 5.

CVM ergo nec infantes, nec quiuis alij extra ecclesiam seruari poterint, nec aliter in ecclesiam quàm per baptismũ pateat introitus, necessario consequitur infantes baptismo purgandos esse. ut ecclesiæ membra hoc modo facti, regnum illud cœlorum (quod ad paruulos pertinere Christus affirmat) consequi possint.

Mat. 18.

NEQVE uero quicq̃ obstat quod paruuli adhuc per ætatẽ rationis usu careãt. Vt enim olim in ueteri testamẽto, Hebræorũ infantibus nihil obstitit, quominus hi & circũcisionẽ (quæ baptismi typũ gessit) susciperent, & gratiæ quę in circumcisione conferebatur, participes fierent: ita sane nihil hodie impedire potest, quo minus christianorum liberi baptizentur, et gratiam in baptismo oblatam percipiant.

Circumcisio baptismi typus.

OCCVRRIT insuper hoc loco notandum, nullos siue infantes siue grandiores, qui semel baptismo loti sunt, unq̃

postea rebaptizandos esse. Anabaptistarum uero et Pelagianorum ac quorumcunq; demũ hominũ opiniones ac dogmata, quæ sanæ atq; catholicæ doctrinæ aduersantur, quæq; iã olim ab ecclesia damnata sunt, ceu pestiferas hæreses, diabolicaq; zizania, christiani omnes fugere debent & execrari.

Sacramentorũ gratiam non impediunt mali ministri.

QVONIAM autem uis omnis, omnisq; effectus sacramentorum omnium proficiscitur ac pendet à uerbo dei, qui omnem, quæ in sacramentis confertur, gratiam per spiritũ suum rite illa sumentibus impertit: haud ignorare nos oportet, quòd etsi sacramenti minister homo nequã, malus, aut improbus sit: uirtus tamen sacramenti integra atq; illęsa permaneat, idq; non in infantibus tantum, sed etiam prouectioribus, modo digne, id est, contriti, pœnitentes et fidem firmam promissionibus dei adhibentes, ad sacramenta suscipienda accedant.

Baptismus, fœdus cũ deo.

POSTREMO nec hoc notatu indignum iudicamus, baptismi sacramentum fœdus quoddam seu pactum inter deũ et nos merito posse appellari. Paciscitur enim (dum hoc sacramento initiamur) nobiscum deus, nobisq; testatur se per filium suum nos iustificare, hoc est, & peccata nobis omnia remittere, & spiritum suum sanctum nobis impertire, cuius auxilio Christi uijs insistere, & dei præcepta seruare, & æternam demũ gloriam acquirere possimus. Nos uero pactum hoc cum deo in baptismo ineuntes, profitemur nos abiectis mũdi carnisq; cupiditatibus, deo sancte seruituros, et in ipso uno fidem omnem & spem nostram reposituros. De hoc fœdere ita à nobis cum deo inito, sic à Paulo admonemur,

Roma. 6.

An ignoratis, inquit, fratres, quòd quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismũ in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Quæ sententia,

baptismi

baptismi mysterium luculenter explicat, ostenditq; professionem nostram in hoc cõsistere, ut qui ab omni turpitudine ac uitio abstinentes, peccato per baptismum cum Christo commorimur: eius etiam resurrectionem, renouatione uitæ in studio pietatis proficientes, sedulo exprimamus. Professio Christiana.

POENITENTIA.

POENITENTIA IN GENERE internus quidam est animi dolor de peccatis ac eorundem detestatio, una cũ uehementi, ut ab eisdem expiemur desyderio, constantiq; proposito uitã in melius commutandi, addito etiam serio conatu ac studio, ut amissam dei gratiam recuperemus, atq; ut in posterum in eadem gratia permaneamus. Nam qui pœnitentiam se agere dicunt, & tamen peccandi propositum nõ penitus ex animo deposuerunt, ij non nisi hypocritas agunt ac pœnitentiæ derisores. Et hæc est pœnitentiæ generalis significatio in scripturis tam noui quàm ueteris testamenti. Atq; hoc modo accepta pœnitentia ita est ad salutem necessaria, ut absq; illa peccatoribus nulla æternæ uitæ spes esse possit. Iuxta illud: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Pœnitentiæ generalis significatio in scripturis. Luc. 13.

POENITENTIAE autem sacramentum proprie in absolutione per sacerdotem pœnitentibus enũciata consistit, ad quam obtinendam requiruntur contritio, confessio & satisfactio, tanquàm modi quidam ac rationes utiles & necessariæ, quibus hoc absolutionis beneficium in ecclesia peccatori commode possit conferri. In ijs autem omnibus fatemur fidem præcedere debere, atq; esse horum omnium principium & fundamentum. Quis enim ueram pœnitentiam agere unquàm incipiat, Quis remissionem peccatorũ Pœnitentiæ sacramentum. Fides pœnitentiæ initiũ.

per pœnitentiam ſperet, niſi credat & eſſe deum, & in euangelio per Chriſtum hoc eccleſiæ conceſſum eſſe: ut ſacerdotum miniſterio pœnitentes in gratiam recipiantur? Nam quemadmodum adulti, qui in infantia baptizati nõ fuerunt, cum iam in ætate prouectiore baptiſmum petunt, primum imbuuntur fide in deum, deinde abnegant omne ſatanæ regnum, atq; ita demum baptizantur: ita in iis qui poſt baptiſmum peccatis contaminantur, & proinde pœnitentiam acturi ſunt, id nimirum requiritur, ut fidem ante omnia firmam ac certam habeant, qua credant ſibi apud deum miſericordiæ locum patere, ac ſe per Chriſti gratiam conſequi poſſe peccatorum remiſſionem, ad quam modis illis ac rationibus, quas ſupra recenſuimus, contritione ſcilicet, confeſsione ac ſatisfactione peruenitur, de quibus ſingulatim iam pauca dicemus.

Contritio.

CONTRITIO eſt luctus & animi dolor, quo propter peccatũ afficimur. Naſcitur autem potiſsimũ contritio per recordationẽ & admonitionem uerbi dei, cum ſcilicet pulſante nos gratia uitam anteactam reſpicimus, & peccata noſtra in memoriam reuocantes, triſtitiam illam quæ ſecundum deum eſt, concipimus, ſerio nobiſcum ſuccenſentes ob nepharia illa flagitia, quæ in oculis dei admittere auſi ſumus. Atq; hic ſane contritionis haudquaq; fictus dolor, non poteſt non illorum omnium mentes ſubire, qui hæc tria uelint ſecum animis repetere & conſyderare. uidelicet dei iudicium & iram quam in ſe prouocarunt: tum ſuę uocationis dignitatem quam contaminare nihil eos puduit: ac demum innumera dei beneficia, quibus cumulatiſsime ad ipſum amandum & colendum toties allecti & inuitati ſunt. Quis enim hinc dei erga ſe mirabilem benignitatem, ſuamq; aduerſus deũ ingratitudinem ac contumaciam, hinc tremendum illud & ineuitabile dei iudicium ſerio cum animo ſuo reuol-

Tria potiß. contritionem pariunt.

reuoluens, non ſtatim ingenti dolore diſcrucietur, quòd talem patrem ac tantum dominum peccato offenderit, ſéq; ex filio dei & regni cœleſtis hęrede, in ſeruitutem peccati & ſatanę mancipium demiſerit.

IN HVNC modum ſcelerum noſtrorum conſcientia perterriti ac turbati, noſtramq; deplorantes miſeriam, in quam ſponte incidimus, ad remedia in Chriſti eccleſia inſtituta confugere, & à ſacerdotibus (quibus Chriſtus peccata remittendi poteſtatem tradidit) ueniam atq; abſolutionem petere, iuxta matris eccleſiæ diſciplinam monemur: confitentes eisdem peccata noſtra noſéq; ipſos accuſantes, & noſtram ipſi nobis miſeriam imputantes. Et in confeſsione quidem omnia illa peccata mortifera, quibus deum à nobis grauiter offenſum ſcimus, quæq; conſcientiam noſtram angunt, ſacerdoti (qui dei in hoc negotio partes agit) aperire et enunciare par eſt. Ad quam confitendi humilitatem duæ res potiſsimum nos adigere debent. Altera eſt noſtrorum peccatorum recordatio, Altera dei erga nos beneficiorum memoria. Quæ duo ſi recte à nobis conſyderentur, ac iuſta ſupputatione recolligantur, ita noſtram nobis inobedientiam ingratitudinemq; ob oculos ponent, ut nos ipſi intuentes ad filij prodigi exemplum exclamare cogamur, Pater nõ ſumus digni ut filij tui uocemur, itemq; cum ſeruo, qui domini ſui uoluntatem cognouit & non fecit, plagis nos multis dignos eſſe iudicemus.

Ioan. 20. Confeſsio. *Confitẽdi humilitatẽ duo a nobis potiſs. exigunt.* Luc. 16. Luc. 12.

CERTE qui in hunc modum uero pœnitentię dolore tactus peccatorum ſuorum (in quæ ſe uolens coniecit) ſenſu perculſus fuerit: non poterit is non libenter apud dei miniſtrũ ſacerdotem ſe humiliare, peccataq; ei ſua (de quibus ante diximus) aperire, à quo ut abſolutionis beneficiũ conſequatur, nullã profecto diſciplinã modo iuſtam & uerbo dei conſentaneam, peccatiſq; ſuis abolendis idoneam recuſabit.

HAEC autem peccatoris humiliatio, animiq; promptitudo ad disciplinam quæ à sacerdote præscribitur, suscipiendam & præstandam, satisfactionis pars quędam est, & postrema illa ratio seu modus quo ad pœnitentiæ sacramentum peruenitur. In qua studium suum & ardorem peccatoriam ad deum reuersus declarat, in prędstandis illis quę deo grata & accepta fore intellexerit, & eo quidem maiore solicitudine & contentione, quo meliorem sui peccati cognitionem percepit, & quanta de felicitate deciderit, secum altius perpendit: quippe ex dei filio seruus diaboli, ac mortis ęternæ reus sua culpa effectus.

Satisfactio nõ est ex nostri operis dignitate.

CVM autem satisfactionẽ nominamus, nihil minus intelligimus, quàm propria nostri operis dignitate nos deũ placare, nec nostrum aut laborem aut pœnam tanq̃ æqualem pro delictis nostris compensationem statuimus. Indignissima enim ac dementissima esset eiusmodi cogitatio. Scimus enim ad hunc modum solius CHRISTI satisfactionem sufficientem esse, atq; hanc morti ipsius gloriam ascribimus. Absit autem ut Christi beneficio quicquàm detrahamus, sed ut illius beneficij participes reddamur, nostram hanc qualemcunq; operam adhibendam existimamus. Quæ tametsi infinitis partibus infra debitum nostrum sit, quod deo persoluendum erat, tamen ex immensa eius misericordia, grata illi per Christum acceptaq; est: imo sic placet, ut nõ leue momentum habeat tum ad ueniam consequendam, tum ad dei iustitiam nobis promerendam, non quidem dignitate aut uirtute operis nostri, (quod ex se indignũ est, et nullius apud deum ad remissionem peccatorũ aut uitam æternam meriti) sed ex Christi seruatoris nostri morte: cuius fructũ nobis applicamus, cum bonis operibus ex fide & charitate prouenientibus dei iram auertere, et gratiam ipsius ambire studemus. Quod quidem nostrum studium, per Christum,

Fructus mortis Christi quando nobis applicetur.

qui

qui pro omnibus uere pœnitentibus abūde dependit, & pro peccatis mundi unica ſufficiens propitiatio eſt, non poteſt deo non placere.

ITAQVE ſatisfactionem hoc loco uocamus, cum quis corde contrito ac humiliato deo placere conatur, & ad dignos pœnitentiæ fructus proferendos, ſe paratum exhibet, eoſq; reipſa ſedulo & pro uirili profert. Nempe dum ieiunio & abſtinentia corpus caſtigat, dum erogandis in pauperes eleemoſynis benignum ſe præſtat, dum ueris lachrymis peccata ſua deflet. Poſtremo dum omnibus modis coram deo ſe humiliat, ac pro uili habet. Quia enim (inquit deus) humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum &c.

Satisfacere nihil aliud q̄ pœnitentiæ dignos fructus proferre. 3. Reg. 21.

HAEC enim cæteraq; huius generis alia, quæ ad reſecandas uitiorum radices ſcelerumq; tollendas occaſiones, ſacerdos dei miniſter ex dei uerbo utilia fore iudicabit, digni ſunt pœnitentiæ fructus & opera. Quemadmodum et peccata ſerio lugere, aſſiduis precibus à deo ueniam poſcere, proximis errata condonare, pignus reſtituere, ui aut fraude parta ablataue reddere, damna alijs illata reſarcire. Hæc non cogitatione tantū & animi propoſito uelle, ſed opere etiam pro uiribus exequi ac præſtare, homini eſt & deo ſatisfacere.

Pœnitentiæ fructus & opera.

NAM et hæc hominibus ſatisfactio approbari ſolet, quæ non ſemper æquiualentis eſt, ſed cum prout noſtræ facultates ſuppetunt, aliquid (et ſi ſecundū iuſtam iniuriæ aut fraudis à nobis illatæ rationem, illud longe impar ſit) rependitur. Ex quo etiam perſpicuum eſt, quid ſit deo ſatisfacere: cum uidelicet prona uoluntate omniq; ſtudio enitimur, cū illo in gratiam redire, eiq; reconciliari, licet nihil in nobis ſit quod tantum beneficium, niſi Chriſto intercedente, promereatur.

Satisfactio nō eſt equiualētis

Satisfacere deo.

CAETERVM ut in explicando pœnitentiæ ſacramento pergamus, poſtquàm peccator animo contrito iniuſtitiam

ſuam

suam agnouerit, supplexq; confessus fuerit, & monstratam indictamq; à sacerdote satisfactionē susceperit, poterit iam absolutionis beneficium petere. Quam à sacerdote in terris prolatam, uere etiam in cœlis esse efficacem credere debet, seq; iam esse à peccatis solutum gratis, id est, merito passionis Christi, & habere peccatorum omnium remissionem. Ad quam quidem remissionem, is qui lapsus erat, per pœnitentiæ sacramentum iam perducitur, quemadmodum initio quum in ecclesiam reciperetur, eam est baptismi uirtute assecutus.

Absolutio. Matth. 18.

CVM AVTEM multæ sint rationes, quibus confessionis quæ fit apud sacerdotes utilitas demōstrari possit: hæc una in primis consyderanda est. Nempe eos, qui diuturna peccandi consuetudine tanq; barathro quodam uitiorū immersi sunt, suiq; propterea obliti omnem quasi conscientiæ sensum amiserunt, nec uel dei maiestatem reuerentur, uel suam fœditatem perspiciunt, si in sacerdotem pii doctumq; inciderint, ad resipiscentiam & ueram pœnitentiam agendam facilius adduci posse, cum audiant sibi prædicari iudicium dei, & pœnam æternam dei cōtemptoribus paratam, deum etiam quantumuis longanimem et tardum ad iracundum, omnia tamen peccata seueriss ime aliquando (ni tempestiue resipiscant) uindicaturum. Hæc & similia peccatoribus serio obiecta, adhibitis necessarijs aptisq; exhortationibus (id quod in secreta confessione potest quàm commodissime fieri) facile illos, nisi penitus deplorati fuerint, à peccatis desistere facient, adigentq; ad synceram pœnitentiam, & uitæ innouationem. Id quod multi uel ipso confessionis tempore compuncti non obscuris subinde signis declarant. Quæ quidem ueræ pœnitentiæ indicia minister perspiciens, absolutionē iam enunciare tuto poterit, & pœnitentem eiusmodi deo reconciliatum in pace dimittere.

Confessio cum potiss. necessaria.

Non

NON EST autem prætermittendum quòd quanq̃ hic (quem modo diximus) ſit communis modus, atq; uſitata apud deũ ratio, qua in remittendis peccatis nobiſcum agere ſolet: at ſi quando in eam anguſtiam quenquàm uenire contigerit, ut ei ſacerdotis copia non adſit, aut quando tempus non conceditur, iſta (quæ diximus) ad pœnitentiæ ſacramentum ſpectantia rite præſtandi: de peccatorum tamen uenia, modo (quantum temporis breuitas permittat) toto animo quis ad deum conuertatur, eiuſq; clementiæ ſe committat, non eſt deſperandum. Nam, ut Cyprianus inquit, in eodem articulo temporis cum iam anima feſtinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſsimi dei benignitas non aſpernatur, nec ſerũ eſt quod uerum, nec irremiſsibile quod uoluntarium. Et quæcunq; neceſsitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec uitæ enormitas (ſi uera contritio, ſi pura fuerit uoluptatum mutatio) excludet à uenia, ſed in amplitudine ſinus ſui mater charitas prodigos ſuſcipit reuertentes. Et paulo poſt de latrone quem in cruce commorientẽ dominus abſoluit, ſic inquit. Latrocinium damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. In momento impietas religionẽ, crudelitas induit impietatem, & ſtatim conſummatus ciuis ſanctorum & domeſticus dei præmiſſus eſt in regnum. &c.

Pœnitenti nũquam deſperandum.

Cyprianus in ſermo. de cœna domini.

SED quamuis hæc ideo referantur, ne peccatores ullo unq̃ tempore animum deſpondeant: cauendum tamen ne inde ſecuritatem aſſumant, & dei bonitate ad peccandi licentiam abutantur. Semper quidem bene de miſericordia dei ſperandum eſt, ſed qui hanc ſpem & fiduciam uertunt in occaſionem perſeuerandi in peccatis, faciunt perinde ac ſi qui ſemper ſperare ſe & expectare dicerent bonam ualetudinem

Nõ præſumẽdum de miſericordia.

interim tamen morbum ſibi intemperantia augere non ceſſarent. Certe qui nolunt in tempore conuerti & repudiare peccata, de miſericordia dei interim ſibi ſpem animo fingentes: fit plerunq; ut iuſto dei iudicio occupati atq; abrepti, in extremo uitæ articulo omni pœnitentiæ aut conuerſionis
Eccl. 5. gratia deſtituantur. Ne tardes, inquit ſapiens, cõuerti ad dominum, nec differas de die in diem: ſubito enim ueniet ira illius, in tempore uindictæ diſperdet te.

ITAQVE altera ex parte dei clementiam amplectentes ex altera autem horrentes dei iudicium, medium teneamus: ut nec ſpem ueniæ reſipiſcentes abijciamus, nec nimia fiducia elati nobis exiſtimemus licere noſtris cupiditatibus frena laxare, atq; impune perpetuo peccare. Cuncta enim, in-
Eccl. 12. quit eccleſiaſtes, quę fiunt, adducet deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum ſit.

EVCHARISTIA.

DOMINVS IESVS, pridie quàm pateretur, in ultima cœna cum apoſtolis accumbens, poſt agni illius typici eſum, hoc Auguſtiſsimum euchariſtię ſacramentum inſtituit: omnibus ueteris teſtamenti ſacrificijs ac ſymbolis finẽ imponens, umbràsq; & obſcura quędã ſigna ad tempus data eſſe oſtendẽs, donec
Rom. 10. ipſe qui finis & complementũ foret totius legis, aduẽtaret.

IN HOC autem ſacramento mirabiliter elucet, nobisq; ante oculos repræſentatur ineffabilis atq; immenſa in nos Chriſti ſeruatoris charitas, amorq; illius in ſponſam ſuam eccleſiam ardentiſsimus, cũ huius myſterij theſaurum nempe corpus ſuum, nobis in cibum & uiaticum ęternę ſalutis
Ioan. 6. reliquerit, noſq; hoc pane qui de cœlo deſcendit alere, conſolari,

ſolari, ac roborare dignatus ſit.

ATQVE hoc quidem ſacramentum cęteris omnibus ſingulari quadam dignitate antecellit, quòd in illis res quæ ſacramento miniſtrando inſeruiunt, eædem maneant, priſtinamq; naturæ ſuæ et ſubſtantiæ integritatem non amittant. In hoc autem longe ſacratiſsimo myſterio, res quæ ad conficiendum ſacramentum adhibentur (uidelicet creaturæ panis et uini) facta conſecratione eędem non manent, ſed diuina uerborum Chriſti uirtute tranſmutantur in Chriſti corporis ſanguinisq; ſubſtantiam. Ita ut quamuis poſt conſecrationem eadem, quæ antea, panis ac uini ſpecies externis ſenſibus obijciatur, nec omnino quicq; mutatum eſſe uideatur, tamen hac in re prorſus repudiatis ſenſibus uerbo Chriſti aſſentiendum ſit, affirmantis ſubſtantiam illic oblatam, exhibitam atq; acceptam, uerum eſſe corpus ſuum ac ſanguinem, quemadmodum ab euangeliſtis & Paulo aperte ac luculenter ſcriptum eſt. Qui de huius ſacramenti inſtitutione tractantes, oſtendunt Chriſtum in nouiſsima cœna cum diſcipulis ſedentem, panem in manus acceptum benedixiſſe, fregiſſe & diſcipulis diſtribuiſſe, dicentem, HOC EST CORPVS MEVM. Similiter accepto calice, HIC EST SANGVIS MEVS. Quibus uerbis cum nihil apertius aut ſimplicius eſſe queat, ſtultiſsimum planè fuerit, ac magna in deum blaſphemia, illis obſtrepere aut reclamare. Certe chriſtianis omnibus qui humili corde uerbis diuinis credunt, ſuasq; cogitationes in obſequium fidei libenter deijciunt, non minus erit arduum, horum myſteriorum ueritati aſſentiri, quàm credere ex nihilo mundum eſſe conditum, aut alijs admirandis dei operibus, quæ in ſcripturis memorantur, fidem adhibere. Quid enim deo impoſsibile? Aut cum ipſe dixerit ac pronunciauerit, quid quęrendum amplius? Num dei potentiam noſtræ rationis

Euchariſtiæ ſacramentū eminentiſsimū.

Tranſmutatio ſubſtantiæ panis et uini in euchariſtia.

angustijs cõstringere atq; includere cogitabimus? Quin potius subijcientes mentem dei uerbo quo cœlũ & terra consistunt, à superuacaneis ratiocinationibus animum cohibeamus: eò spectantes potius ut tanto sacramento recte utentes, fructum illius participemus, quàm ut acute de illo disputare aut subtiliter aliquid perscrutari conemur.

Eucharistia cur instituta.

INSTITVIT autem sacramentũ hoc Christus in hunc finem, ut pro sua immensa in nos charitate perennẽ sui memoriam nobis relinqueret, suiq; amoris flagrantissimi, quẽ per mortẽ abunde declarauit, inæstimabile apud nos pignus deponeret: Voluit nimirũ totos nos sibi et corpore et spiritu q̃ coniunctissimos reddere & conglutinare: Voluit spem nostram in ipso firmissime defixã esse: Voluit nos perẽnem ex hoc sacramento consolationem haurire: Voluit suam nobis iustitiam suumq; spiritum quàm plenissime infundere; breuiter uoluit nos supersubstantiali hoc alens pane, fortes atq; robustos efficere ad omnia uitæ huius subeunda discrimina, et ad ferendos peregrinationis nostræ labores. Præcipuum autem est, ut redemptionis illud nostræ mirificum opus perpetuo celebremus, & immolatum pro nobis pascha Christũ, nunquàm nobis ex animo excidere sinamus.

Recta eucharistiam sumendi aut contẽplandi ratio.

CVRANDVM igitur semper, ne hæc tantæ uenerationis mysteria indigne tractemus, aut alia quàm par sit ueneratione intueamur, sed ita ut Christus dominus noster instituit ac mandauit, hoc est, ut redemptionis nostræ beneficium serio recolentes, mortis Christi (quam pro nobis cum esset dominus gloriæ pati dignatus est) memoriam renouantes, pro summa illa in nos charitate gratias agamus, peccata nostra, quæ ut deleret Christus mortuus est, defleamus, gratiã ac misericordiam supplices per Christum, qui se pro nobis uictimã dedit imploremus: confidentes atq; persuasi, Christum qui se ad hunc modum pro nobis tradidit, non desertu-

rum

turum nos aut foras eiecturum, sed propitium ad remittenda nobis peccata & clementem fore, si quidem ex animo & non fictè resipiscamus, & accedamus (ut Paulus inquit) in uero corde & plenitudine fidei, nosq; in manum Christi & seruitutem dedamus, scientes nos illi iure seruitutem debere, dominũ eũ uere nostrũ esse, qui nos non auro nec argento (ut Petrus loquitur) sed precioso sanguine redemit & acquisuit. Empti, inquit Paulus, estis precio, & non estis uestri. Heb. 10. 1. Pet. 1. 1. Cor. 6.

QVAPROPTER cũ unius domini, id est, Christi serui simus, de hac, quam Christo debemus, seruitute nobis semper meditandum est: ut meritò pudeat nos carni, mũdo, aut satanæ obsequi. Quin potius Christum uerum dominum sequi oportet, atq; illi in sanctitate & iustitia per omnem uitam fideliter inseruire. Quare iterum atq; iterum cauendũ est, ne hoc tantum sacramentum indigne sumamus, aut impure quouis modo atq; irreuerenter tractemus. Qui enim, inquit Paulus, mãducat aut bibit indigne, iudicium sibi mãducat & bibit. Indigne autem accedunt, qui fide, timore dei & charitate uacui sunt, qui conscientiam suam prius explorare atq; excutere nolunt, qui de uitæ emendatione serio nõ cogitant. Probet, inquit apostolus, seipsum homo, hoc est, sese ac animi sui latebras accurate introspiciat atq; examinet, peccata per pœnitentiam purget, nec quasi ad prophanas epulas accurrat, sed mensæ huius sublimitatẽ rite perpendat ac suspiciat. CERTE si christiani hominis est quotiescũq; communi isto cibo aut potu corpus reficit, deum præ oculis habere, & gratias agere, ut Paulus monet, (siue comeditis, inquit, siue bibitis, omnia in gloriam dei facite) multo curandum est magis, ut cœlestem hunc capientes cibum non simus ingrati, aut diuinæ erga nos bonitatis immemores: sed omni reuerentia ac timore, augusta hæc ac tremenda mysteria tractemus, & pro redemptione nostra gratias q̃ 1. Cor. 11. 1. Cor. 10. Coloss. 3.

Christianus Christi seruus.

Indigne qui ad eucharistiam accedant.

Eucharistia.

effusissime agamus. Nam & propterea inter cætera nomina hoc unũ est huius sacramẽti, ut EVCHARISTIA dicatur, id est, actio gratiarũ. Vere etenim iustũ, ęquũ ac salutare est, quemadmodũ in sacris canitur, nos tãtum redemptionis nostrę beneficiũ perpetua gratitudine confiteri ac celebrare.

De altera specie sacramẽti.

CAETERVM quoniam hoc seculo nostro contentiosi quidam homines extiterunt, qui ecclesiam uarijs opinionũ dissidijs dissecuerunt ac perturbarũt, affirmantes etiam laicos utranq; sacramenti speciem sumere debere, alioqui eos & à prima Christi institutione recedere, & integram eucharistiam non accipere: sciendum in primis est, eam (quam isti uolunt) sumendi sacramenti rationem, non ita per omnes circunstantias requiri (præterq̃ à solis sacerdotibus idq; dũ consecrant solummodo) ut à quibuslibet sub periculo salutis, utraq; sacramenti species sumi debeat. Non enim in eiusmodi circunstantiarum obseruatione, salus nostra aut huius sacramẽti usus consistit, sed potius interest, digne an indigne accipiamus.

Alteram speciem sumens, totius eucharistiæ fit pticeps

NAM QVI alteram tantum, nempe panis speciem digne sumit, certum est ab eo sumi integrum Christi corpus, ac tantam inde gratiam omnino percipi, ac si utranq; sumpsisset. Quòd si quis neget sub altera specie integrũ esse Christũ, & iuxta species sacramenti Christum diuidat, hic profecto tanquàm hæreticus & plane stolidus explodẽdus est, et huiusmodi sententia, ut insana atq; à diabolo authore profecta, merito reijcienda. Nam præterquàm q; scriptura reclamat, etiã ratio humana, & si huius mysterij sublimitatẽ non assequatur, hoc quod scripturæ consonũ est, manifeste suggerit, uiuum scilicet Christi corpus absq; sanguine esse nõ posse. Quamobrẽ ab hac tã absurda opinione si qua talis extiterit, homines tum scriptura, tũ etiã ratione, facile abduci possunt. Et certe uel hæc una ratio aliquid momenti habet,

Christus integer sub utraq; specie.

bet,ad confirmandum hunc morem in ecclesia,de altera tantum specie laicis dãda:uidelicet ne simplices & idiotę Christum diuidi, & non sub altera tantum specie totum exhiberi suspicarentur,ut alias interim omittamus haud leues causas, quæ & honorem sacramenti & ecclesię totius libertatem ac commoditatem attingunt, quas huius libelli, quem in uulgi tantum gratiam desudamus, angustia non capit.

NEC HABENT hic laici, de quo iuste cum sacerdotibus expostulare aut queri possint, quasi ꝫ se integro sacramento expleant, ipsis autem dimidium tantum sacramenti dignentur impertire: cum uideant ne ab ipsis quidem sacerdotibus, nisi consecrantibus, & rem diuinam facientibus,utranq; speciem sumi, ut qui aliâs semper & sani & ægroti, altera tantum non secus q̃ plebeij contenti sint. Ne igitur hac de re contendamus amplius, aut perperam quicquàm de sacramento cogitemus, satis hoc arbitrantes & persuasũ habentes,cũ altera tantum specie utimur, gratiam & fructũ sacramenti nulla ex parte nobis auferri, sed æque altera specie ac utraq; utentes, beneficiorum Christi participes fieri, si modo digne (ut Paulus loquitur) sacramentum accipiamus. Quocirca in hoc unum toto animo spectandum est, ut Eucharistiam quemadmodum oportet sumamus,atq; ita sacramenti gratiam & effectum consequamur, hoc est, ut cum Christo unũ corpus spiritusq; efficiamur,maneamusq; in illo & ipse in nobis. Hic est panis, inquit,qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso manducauerit,non moriatur. Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Quis autem hic sit panis, mox subiungens, ostendit. Panis quem ego dabo,caro mea est, quam ego dabo pro mũdi uita. Quæ uerba & fidem nostram de ueritate carnis Christi in sacramento apertissime confirmant, & summam nobis consolationem præbent, quod

Effectus sacramenti eucharistiæ.
Ioan. 6.

Eucharistia.

effusissime agamus. Nam & propterea inter cætera nomina hoc unũ est huius sacramẽti, ut EVCHARISTIA dicatur, id est, actio gratiarũ. Vere etenim iustũ, ęquũ ac salutare est, quemadmodũ in sacris canitur, nos tãtum redemptionis nostrę beneficiũ perpetua gratitudine confiteri ac celebrare.

De altera specie sacramẽti.

CAETERVM quoniam hoc seculo nostro contentiosi quidam homines extiterunt, qui ecclesiam uarijs opinionũ dissidijs dissecuerunt ac perturbarũt, affirmantes etiam laicos utranq; sacramenti speciem sumere debere, alioqui eos & à prima Christi institutione recedere, & integram eucharistiam non accipere: sciendum in primis est, eam (quam isti uolunt) sumendi sacramenti rationem, non ita per omnes circumstantias requiri (præterq; à solis sacerdotibus idq; dũ consecrant solummodo) ut à quibuslibet sub periculo salutis, utraq; sacramenti species sumi debeat. Non enim in eiusmodi circumstantiarum obseruatione, salus nostra aut huius sacramẽti usus consistit, sed potius interest, digne an indigne accipiamus.

Alteram speciem sumens, totius eucharistiæ fit pticeps

NAM QVI alteram tantum, nempe panis speciem digne sumit, certum est ab eo sumi integrum Christi corpus, ac tantam inde gratiam omnino percipi, ac si utranq; sumpsisset. Quòd si quis neget sub altera specie integrũ esse Christũ, & iuxta species sacramenti Christum diuidat, hic profecto tanquàm hæreticus & plane stolidus explodẽdus est, et huiusmodi sententia, ut insana atq; à diabolo authore profecta, merito reijcienda. Nam præterquàm q; scriptura reclamat, etiã ratio humana, & si huius mysterij sublimitatẽ non assequatur, hoc quod scripturæ consonũ est, manifeste suggerit, uiuum scilicet Christi corpus absq; sanguine esse nõ posse. Quamobrẽ ab hac tã absurda opinione si qua talis extiterit, homines tum scriptura, tũ etiã ratione, facile abduci possunt. Et certe uel hæc una ratio aliquid momenti habet,

Christus integer sub utraq; specie.

bet,ad confirmandum hunc morem in ecclesia,de altera tantum specie laicis dãda:uidelicet ne simplices & idiotę Christum diuidi, & non sub altera tantum specie totum exhiberi suspicarentur,ut alias interim omittamus haud leues causas, quæ & honorem sacramenti & ecclesię totius libertatem ac commoditatem attingunt, quas huius libelli, quem in uulgi tantum gratiam desudamus, angustia non capit.

NEC HABENT hic laici, de quo iuste cum sacerdotibus expostulare aut queri possint, quasi ꝛ̄ se integro sacramento expleant, ipsis autem dimidium tantum sacramenti dignentur impertire: cum uideant ne ab ipsis quidem sacerdotibus, nisi consecrantibus, & rem diuinam facientibus,utranq; speciem sumi, ut qui aliâs semper & sani & ægroti, altera tantum non secus q̄ plebeĩ contenti sint. Ne igitur hac de re contendamus amplius, aut perperam quicquàm de sacramento cogitemus, satis hoc arbitrantes & persuasũ habentes,cũ altera tantum specie utimur, gratiam & fructũ sacramenti nulla ex parte nobis auferri, sed æque altera specie ac utraq; utentes, beneficiorum Christi participes fieri, si modo digne (ut Paulus loquitur) sacramentum accipiamus. Quocirca in hoc unum toto animo spectandum est, ut Eucharistiam quemadmodum oportet sumamus,atq; ita sacramenti gratiam & effectum consequamur, hoc est, ut cum Christo unũ corpus spiritusq; efficiamur,maneamusq; in illo & ipse in nobis. Hic est panis, inquit,qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso manducauerit,non moriatur. Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Quis autem hic sit panis, mox subiungens, ostendit.Panis quem ego dabo,caro mea est, quam ego dabo pro mũdi uita. Quæ uerba & fidem nostram de ueritate carnis Christi in sacramento apertissime confirmant, & summam nobis consolationem præbent, quod

Effectus sacramenti eucharistiæ.
Ioan. 6.

quòd hoc ſacramento recte utentes à morte nos ęterna liberari & uita perenni donari intelligimus. Nam cum Chriſti, qui uita eſt, corpus, quod diuinę naturæ inſeparabili cōnexione eſt unitum & coniunctum, à nobis ea qua decet fide & pietatis affectu in cibum accipitur: qui fieri poteſt, ut non etiam uitam ſui participatione nobis donet & communicet, omnibuſq; nos gratię & uirtutum donis affluentes & opulentos reddat? In ſumma aduerſus peccatum & mortem, cunctaſq; formidines, infirmitates & tentationes, magnanimos inuictoſq; efficiat?

Euchariſtia nos uiuificat

SI ENIM mulier quæ ſanguinis profluuio, ut in euangelio ſcriptum eſt, laborabat, tactu fimbriæ Chriſti (prodeunte ex ipſo uirtute) ſanitatem conſecuta eſt: quanto magis qui ſacroſanctum illius corpus non contrectant modo, ſed etiam intra ſe rite ſuſcipiunt, uiuaq; ipſius Chriſti templa efficiuntur, & quaſi in unam cum ipſo carnem coaleſcunt, contra omnes animæ ægritudines hoc ſacramento leuamen & remedium inueniant?

Matth. 9.

Euchariſtia animi morbos ſanat.

NAM cum cibus communis qui à nobis conficitur, & in corpora traijcitur, fortes & bene ualentes reddat: qui fieri poteſt ut hic cœleſtis cibus (cuius hæc eſt uis & efficacia, ut non in noſtram uertatur ſubſtantiam, ſed nos potius in ſuā tranſmutet naturam) nos omnino immortales, cœleſtes, incorruptibiles, planéq; diuinos & à peccato ac morte immunes non efficiat? Quemadmodum autem per dignam huius ſacramēti perceptionem, Chriſto capiti noſtro quàm intime coniungimur: ita etiam cum eccleſia, omnibuſq; Chriſti membris, arctiſsimam quandam communionem ſocietatemq; inimus. Cuius myſticæ unionis inter Chriſtum & eccleſiam omniumq; eccleſiæ membrorum inter ſe, ſacra quæ in hoc ſacramento proponuntur ſigna, luculenter nos admonent. In ijs nanq; rebus (ut Auguſtinus inquit)

Euchariſtia nos tranſmutat.

Euchariſtia nos Chriſto et eccleſiæ unit.

quit) quæ ad unum aliquid ex multis rediguntur, corpus suum & sanguinem dominus commendauit. Nam & panis ex multis granis conficitur, & ex multis acinis uinum confluit: Ita cuncta ecclesiæ membra, unum se panem unumq; corpus agnoscunt. Sic enim apostolus, Vnus, inquit, panis et unum corpus multi sumus. Omnes quidem de uno pane & calice participamus. *August. tract. 16. in Ioan.* *1. Cor. 10.*

PORRO etsi dominus Iesus, quum hoc sacramentum primum institueret, in cœna illud post agni paschalis esum consecrauit, atq; discipulis suis distribuit, partim ut ueteris testamenti sacramenta finita iam et consummata ostenderet, partim ut hoc sacramento proxime ante mortem instituto, memoriam sui, discipulorum suorum omniumq; fidelium cordibus (quoties eo essent usuri) altius & efficacius imprimeret: postea tamen apostolis ipsis, catholicæq; ecclesiæ (ut Augustinus docet) spiritu sancto dictante uisum est, quo maior esset Christianorum erga tantum sacramentum et reuerentia & deuotio, ut non nisi à ieiunis acciperetur, præterq; ubi aut morbus aut necessitas alia impedimento foret. *In epist. ad Ianuarium. Eucharistiam nõ nisi a ieiunis sumi.*

POSTREMO cum tanta sit huius sacramenti uirtus ac gratia, optãdum foret in õmnium & laicorum & sacerdotum animis eum ueræ religionis affectum uigere, ut iuxta Pauli consilium seipsos probantes, frequentiori corporis dominici perceptione sese reficerẽt. Verum quia postremis his temporibus (quemadmodum à CHRISTO prædictum est) abundante iniquitate multorum charitas refrixit: haud inutile erit, christianos quorum in animis adhuc dei timor residet, monere atq; hortari, ut quandocunq; hoc sacramentum uel ore sumunt, uel oculis intuentur, aut quouis modo tractãt, summa id religione ac uere christiana humilitate ac fide faciendum curent. Et quoniam hisce diebus frequens communicandi usus in ecclesijs non ut olim ser- *Cõmunio populi frequentior optanda.* *Matth. 24.*

uatur, ſaltem ut miſſarum ſacrificijs, ea qua decet pietate & ſyncera rei diuinæ attentione interſint, nec ea uel incuria uel leuitas appareat, unde fratres ſcandalo afficiantur. Nam inambulare aut importunis colloquijs ſe oblectare, aut quouis modo alijs moleſtum eſſe, q̃ ſit chriſtiano homini in eccleſia dei (præſertim ſacrificij tempore) indecorum ac fœdum, facile eſt cuiuis uere pio exiſtimare. Qui enim ſacra hac poſita menſa, domino ipſo præſente, circumſiſtentibus angelorum choris, non excitatur ac mouetur, ut totum ſe ad orandum atq; adorandum deum conuertat, hic plane ſe improbum eſſe prodit, & dei contemptorem. Ob quem contemptum, deus ſæpe uarias pœnas infligit, non ſpirituales tantum, quales ſunt gratiam ſuam adimere, atq; ad extremum ob noſtram impietatem obduratos in reprobum ſenſum tradere, ſed etiam corporalibus ſæpe atq; externis plagis, prophanatum Euchariſtiæ myſterium ulciſcitur. Propter hoc enim, inquit Paulus, multi inter uos infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. &c.

De audiendo ſacro.

1. Cor. 11.

MATRIMONIVM.

Gen. 2.

MATRIMONIVM à deo in Paradiſo ſtatim à mũdo cõdito inſtitutũ legimus. Qui pro ſua in hominẽ (quẽ paulo ante de terra formauerat) charitate, nolens eum ſolũ & coniugis auxilio deſtitutũ manere: fœminam de ipſius latere productam, ei in uxorem dedit, ac matrimonio ſociauit, tum ut ſibi mutuo eſſent præſidio ac ſolatio, humanumq; genus per legitimam propagationem perpetuo conſeruaretur, tum ut etiam poſt hominis lapſum liberi poſſent abſq; peccato in matrimonio procreari. In principio geneſeos de matrimonio

nio ita ſcriptum inuenimus. Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuę, et erũt duo in carne una. Quibus uerbis matrimonij uis exprimitur, nempe quòd maritum & legitimam uxorem in unam carnem redigat, & ex duobus unum corpus efficiat: ita (ut dum uixerint) utriuſq; corpus ſit alterius, ſicut Paulus dicit, Vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. & rurſum, Mulier poteſtatẽ ſui corporis non habet, ſed uir. Ex quibus liquido apparet, nullo pacto matrimonij rite contracti uinculũ poſſe diſſolui. Nã adhærebit (inquit ſcriptura) uxori, & erunt duo in carne una. ATQVE hanc matrimonij inſtitutionem etiã poſt diluuium approbauit deus, ſuaq; benedictione confirmauit, cum Noe & filijs eius diceret. Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Ex qua tam ſancta matrimonij inſtitutione eiuſdemq; approbatione, quàmuis & primi homines & eorum poſteri ſatis edocti fuerint, quanta puritate ac mundicia conſeruari deberet: uidens tamen deus naturã hominum peccato iam corruptam ad malum procliuem eſſe, de matrimonij ſanctitate tuenda lege atq; edicto ſtatuit, aperte uetans, ne qua unquàm intra certos conſanguinitatis & affinitatis gradus (qui leuitici decimo octauo enumerantur) matrimonia coirent. Qua lege cuncti mortales matrimonium contrahere prohibentur, cum ijs quæ ſequuntur perſonis, nẽpe matre, auia, proauia, &c. recta linea aſcendendo. ITEM uxore patris, aui, aut proaui, & ſic deinceps in directum aſcendendo. Item ſorore patris, aut matris, aui, aut auiæ, &c. ſimiliter aſcendendo. Nec patrui uxorem in matrimonium accipere licet, imo nec auunculi aut eius qui fuerit frater aui uel auiæ, &c. Intra prędictos etiam gradus interdictum eſt, ne mulieres uiris nubant. Prohibitum inſuper eſt, ne ſororem quis in coniugem ſumat, ſiue germana

Matrimonij prima inſtitutio.

1. Cor. 7.

Gen. 9.

Leuit. 18.

Gradus prohibiti in matrimonio lege diuina.

eius ea sit, siue ex altero tantum parente nata, nec refert an legitimo fuerit matrimonio orta, necne. Porro nec fratris uxorem sibi matrimonio assumere cuiq̃ licet, nec uxoris itidem sororem.

QVAS de graduum prohibitione leges, etsi nec in prima matrimonij institutione, nec in eiusdem post diluuium approbatione, manifesto dei uerbo promulgatas legimus: easdem tamen diuinitus cordibus hominum insculptas fuisse, etiam ante Moysis tempora certum est.

QVIA uero humanum genus, partim originalis culpę uitio, partim longa peccandi consuetudine, penè excæcatũ & rationis lumine tantũ non orbatum erat, adeo ut omnes fere homines ea quæ natura turpia essent & prava, nec animaduerterent, nec quo se aut q̃ late naturalis illa honestas & reuerentia, quam his debemus qui sanguinis uel affinitatis uinculo nobis coniuncti sunt, extenderet, discernere ualerent: propterea deus ad tantæ cæcitatis remedium, has de certorum graduum prohibitione leges, per Moysen renouari ac lege scripta promulgari curauit. In quibus legibus ferendis, eo uerborum pondere ac grauitate rem proponit legislator Moyses, ut eius uerba & sententias diligenter perpendenti, liquido appareat, non tantum Iudæis has prohibitiones ad tempus datas esse, sed etiam, ut cætera moralis institutionis præcepta, omnes ubiq; nationes perpetuò obligare.

Prohibitiones Leuiticæ de matrimonio legis moralis uim habent.

HIC præterea diligenter est aduertendum, eam quæ in matrimonio est inter marem & fœminam coniunctionem, mysticum signum esse non modo illius beatissimæ coniunctionis diuinę naturæ cum humana, quam tunc esse factam cernimus, quum ambæ hæ naturæ in uno CHRISTO domino nostro unitæ fuerunt: sed etiam arctissima Christi ac sponsæ suæ ecclesię copulatio, eodem matrimonij sacramento

Matrimonium duplici ratione mysticum signum esse.

mento repræsentatur. Id quod Paulus, ad Ephesios quinto demõstrat, ubi de officio uxoris erga maritũ ita scribens inquit. Mulieres uiris suis subditæ sint sicut domino, quoniam uir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse saluator corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres uiris suis in omnibus. Et de uiris statim infert. Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Et paulo post. Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Tandem uero ipsa prima matrimonij institutione in medium producta, citatisq; dei uerbis quæ ante recensuimus, in hunc modum orationem absoluit. Sacramentum hoc (de matrimonio uidelicet loquens) magnum est, ego autem dico in Christo et ecclesia: quasi diceret apostolus, coniunctio hæc uiri et mulieris in coniugio, qua in carnem unam ac corpus unũ coalescunt, Sacramentũ est siue mysterium, quo summa illa ac admirabilis Christi et sponsæ suæ ecclesiæ unio nobis repræsentatur. *Ephes. 5.*

QVEMADMODVM enim efficacia & uirtute primæ institutionis matrimonij, uir & uxor efficiuntur unum corpus, cuius caput uir est: Ita Christus sibi ecclesiam adiunxit sponsam, eamq; corpus unum secum esse fecit, cuius ipse caput existit. Atq; huius sacrosanctæ coniunctionis, matrimonium inter marem & fœminam signum est. Et hæc quidem res est sacramenti in matrimonio, ipsa nimirum Christi & ecclesiæ coniunctio. Quocirca apostolus post alias à lege naturæ inductas rationes, quibus hortatur coniuges ad mutuum amorem (ut cum dicit: Quis unquàm carnem suã odio habuit? &c.) hanc tamen ut grauissimã et maximi ponderis adducit, qua maritũ & uxorẽ admonet, ea fide, pietate ac etiam sanctimonia matrimonium colere, ut declarent se intelligere, quæ res & quam ueneranda ipsorum coniugio significetur, nempe mystica hæc Christi cum ecclesia con- *Matrimonium mysticæ coniũctionis Christi et ecclesiæ, signum.*

nexio, quam niſi charitate mutuoq; amoris officio imitari, atq; exprimere ſedulo conentur, neceſſum eſt ut matrimonii turpiter ſuii dehoneſtent, & illius rei cuius ſignum erat, diſſimile efficiant. ACCEDIT ad extollendam matrimonij dignitatem, non modo quòd ab ipſa ſtatim mundi origine à deo inſtitutum, uerboq; eius ſanctificatum, ac legibus honoratum extiterit, uerum etiam quòd à Chriſto in nouo teſtamento cõmendatum ſit, idq; illius non tantum ſermonibus ſed etiam factis. Vt cum ad nuptias inuitatus, non eſt dedignatus accedere, & ſua matriſq; ac diſcipulorum præſentia illas honeſtare. Vbi etiam à primo edito miraculo, quo aquam in uinum conuertit, diuinæ uirtutis ſuæ indiciũ proferre cœpit. Et alio loco phariſæos de diuortio percontantes, relegat ad primã matrimonij inſtitutionẽ. Nõ legiſtis (inquit) Qui fecit ab initio maſculum & fœminã fecit eos, et dixit. Propter hoc dimittet homo patrem & matrẽ, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaq; iam non ſunt duo ſed una caro. Quod ergo deus coniunxit, homo non ſeparet. Et cum phariſæi rurſus obſtreperent dicentes: Cur igitur Moyſes mandauit dari libellum repudij? Moyſes (inquit) ad duritiã cordis ueſtri permiſit uobis, ab initio autem non ſic fuit. Quibus uerbis plane oſtendit, pugnare cũ prima ordinatione matrimonij & iure naturali, ut legitimi coniuges ſeparentur, & alijs poſtea nuptijs implicentur. Id quod magna uehementia ac ſeueritate Chriſtus mox confirmat, inquiens: Dico autem uobis, quia quicunq; dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Et apud alium euangeliſtam de muliere itidem repetit. Et ſi uxor dimiſerit uirum ſuum, et alteri nupſerit, mœchatur.

Matrimonium utriuſq; teſtamenti ſcriptura cõmendari.

Ioan. 2.

Matth. 19.

Marc. 10.

HAEC CHRISTI in euangelijs uerba, de ipſius ſententia nos ſatis edocent, qua & primitiuam matrimonij inſtitu-

ſtitutionem ſuo calculo approbat, & fidelibus preterea omnibus imperat, ut ad diuinæ legis præſcriptum ſumma puritate ac religione matrimonium colant, nec diuortio illud aliquando reſcindant, niſi uelint ſanctiſsimorum dei præceptorum contemptores haberi.

Diuortia euãgelio prohiberi

SVMMA uero obſeruatione digna ſunt inſignia illa Chriſti uerba, cum dicit: QVOD DEVS coniunxit, homo nõ ſeparet. Quibus uerbis & hanc matrimonialem coniunctionem deo adſcribit, & docet non ſolum illi primorum parentum matrimonio, ſed omni etiam legitimo ac iuſto coniugio deum adeſſe, & eius quæ in matrimonio fit coniunctionis, authorem ac cooperatorem exiſtere.

AD quod reſpiciens Paulus ad Hebræos inquit: Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus. Atq; hic diligenter notandum eſt, non ſolum procreandi actum (qui alioqui in peccatum imputaretur) hoc ſacramento licitum reddi: ſed etiam liberorum (qui ex licito matrimonio ſuſcepti ſunt) rectam educationem, adeo eſſe rem gratam & acceptam deo, ut promiſsionem habeat uitæ æternę non ſecus ac cætera bona opera, quæ per dei gratiam in fide perficiuntur. Ita enim Paulus affirmat ad Timotheum: Mulier, inquit, ſeducta in præuaricatione fuit, ſaluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione & ſanctificatione cũ ſobrietate. A qua uitæ æternę promiſſione nec maritus alienus eſſe credendus eſt, ſi modo is officio ſuo in recta liberorum educatione haud defuerit.

Heb. 13.

Liberorũ recta educatio.

1. Tim. 2.

POSTREMO in matrimonio commendantur præcipue tria & eximia commoda, quæ omnibus qui ſe hoc ſacramento aſtringunt, diligenter intuenda ſunt.

Tria bona matrimonij.

PRIMVM matrimonij bonum eſt ipſa res ſacramenti, quæ eſt (ſicut ſupra diximus) eximium illud & incomprehenſibile dei opus in coniunctione Chriſti & eccleſiæ, quo con-

connubio noſtra ſalus repoſita continetur. Cuius quidem admirandæ coniunctionis ſemper memores eſſe coniuges debent, atq; animum applicare, ut omni puritate, mundicia et ſanctitate connubium ſuum colant. In hoc exemplar ſedulo intuentes, ut ſeſe mutuo amore proſequantur, nec ullas ullo unq̃ tempore quibus ſe mutuo iuuare queant, moleſtias aut labores effugiant. Sic enim Chriſti imitatores exiſtent, qui pro ſponſa ſua eccleſia grauiſsima quæq; pati nõ eſt grauatus. De coniugum autem officio copioſe Paulus ad Theſſalonicenſes. 1. cap. 4. Quo loco uehementer deterret à uiolando ſancto matrimonio: Sciris, inquit, quæ præcepta dederim uobis per dominum Ieſum, ſignificans ſe aliàs hac de re, tanq̃ maxime neceſſaria, eos diligenter admoniſſe. Hęc eſt enim uolũtas dei ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis uos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſq; ueſtrũ uas ſuum, id eſt, corpus animæ domicilium ac ſpiritus ſancti hoſpitium & templum poſsidere in ſanctificatione & honore, non in paſsione deſyderij, ſicut gentes quæ ignorant deum, ut ne quis ſupergrediatur in negocio fratrem ſuum, uidelicet fraudem faciens coniugio alterius: quoniam uindex eſt dominus de his omnibus, ſicut prædiximus uobis & teſtificati ſumus. Non enim uocauit nos deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaq; qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed deum, qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis.

1. Theſſ. 4.

Grauiſsima Pauli uerba de matrimonij puritate ſeruanda.

ALTERVM matrimonij bonum eſt fides coniugalis, quam ſibi coniuges cum matrimonium rite contraherent, inuicem dabant, utroq; ſcilicet corpus ſuum in alterius tradente poteſtatem. Qua data fide & accepta, indiſſolubili (dũ uixerint) coniugij uinculo aſtringuntur. Adeo ut eius uinculi nodum ſoluere nunquàm poſsint, niſi uelint erga ſe dei iram prouocare, qui huius coniugalis pacti teſtis eſt & approbator. Quòd ſi fidem in matrimonio datã mutuò & accep-

2. bonum matrimonij.

Fidei coniugalis vinculũ indiſſolubile.

acceptam inuiolabiliter seruare, & ea qua decet puritate matrimonium suum colere coniuges studuerint, certi esse possunt & deum se propitium habere, & castam coniugij obseruationem suo apud deum merito minime fraudari.

SED QVONIAM de matrimonio sæpe scrupuli et cõtrouersiæ oriuntur, aduertendum est, si in ullo unq̃ matrimonio certò constiterit, eiusmodi impedimentum esse, ut eius initio contractus per diuinas aut humanas leges illicitus fuerit nulliusq; momenti: ecclesiam in hoc casu, & posse et debere coniugium illud rescindere atq; irritum iudicare, propterea quòd talis coniugij uinculum à principio illegitimum fuisse censendum sit. At ea matrimonia, quæ secundum scripturas & ciuilia cuiusq; regni iura, ab initio licite contracta fuerunt, perpetuo haud dubie uinculo coniuges pro uitæ suæ tempore obligatos tenent.

Coniugia illegitima quæ censenda.

TERTIVM matrimonij bonum est ipsa proles. Cuius suscipiendæ & pie ac religiose educandæ gratia, matrimonium debet potissimum contrahi. Ita enim fiet, ut non culpa tantum matrimonium uacet, sed & merito etiam ornetur. In liberis autem educandis, parentes sibi beatum Tobiam imitandũ proponant. Qui filium suum statim ab incunabilis deum timere & peccatum uitare docuit. Quantæ enim sit impietatis, liberorum institutionem negligere, nec eos diligenter erudire & delinquentes castigare, memorabili illo & horrendo sacerdotis Heli exemplo docemur. Qui (dei in illũ ira sæuiente) morte repentina extinctus est, quòd filios suos, quos sceleratè uiuere intellexit, digne pro meritis nõ castigasset. Quare danda est parentibus opera, ut liberos iuxta apostoli consilium in disciplina & correptione domini educent. Stultitia (ait Salomon) colligata est in corde pueri, et uirga disciplinæ fugabit eam. Et alio in loco. Noli subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris

Proles. 3. bonum matrimonij.

Tobias piorũ parentum exemplum.

Heli.

1. Reg. 4.

Prouerb. 21.

eum uirga, non morietur: tu uirga percuties eum, et animã eius de inferno liberabis. De filiorũ autem in parentes obseruantia, suo postea loco, nimirum in quinto decalogi precepto (quod est de honorandis parentibus) cõmodius dicturi sumus.

ORDO.

Ordo quid sit.

ORDO EST QVAEDAM ministerij gratia in ecclesia Christi, quæ christianis à deo infunditur, per consecrationem et impositionem manuum episcopi. Atq; hoc sacramentum in initio per apostolos collatum fuit, ut liquet ex epistola Pauli ad Timotheum, quem idem Paulus presbyterum ordinauerat. Moneo te (inquit) ut resuscites gratiam dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Et alio loco, ministerium illi delegatum redigens in memoriam. Noli (inquit) negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Ex quibus locis (ut alios interim taceamus) perspicuum est presbyteros & episcopos impositione manuum à Paulo ordinatos et consecratos fuisse. Id quod etiam à cæteris apostolis ab ecclesiæ primordio factum esse, dubium non est.

2. Tim. 1.

1. Tim. 4.

ET QVEMADMODVM apostoli ipsi in ecclesiæ nascentis exordio, episcopos ac presbyteros ordinauerũt: ita eosdem etiam instituisse, ut in posterum succedentes episcopi eundem ordinandi morem in ecclesia seruarent, manifestum est. Sic enim Paulus ad Titum scribit. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut quę desunt corrigas, et constituas per ciuitates, presbyteros, sicut dispositi tibi. Et ad Timotheum. Nemini cito manus imponas. Quanquàm autem hunc in modum scriptura ordinationes fieri instituit, tamen quinam

Tit. 1.

1. Tim. 5.

ex

ex tota illa presbyterorum iam iuxta dei uerbum ordinatorum multitudine, in ministros aut rectores huius aut illius ecclesiæ designandi sint, aut quinam illi, huic aut illi diœcesi præficiendi, deniq; à quibus uel quomodo nominandi, eligendi, et ad ecclesiarum gubernationem assumendi sint: de hoc sane scriptura nihil certi statuit, aut præscripsit, sed iuxta singularum regionũ, quæ Christi fidem profitentur, leges & instituta, hac de re magistratuum & principum authoritate edita aut in posterum iuxta temporis exigentiam edenda, de eiusmodi nominationibus, electionibus, aut episcopatuum ac sacerdotiorum donationibus, pronunciandum est.

CAETERVM quibuscunq; tandem huiusmodi sacrum in ecclesia ministerium cõmittitur, ij debent intelligere officij sui esse, sermonem dei populo recte annũciare, sacramenta ministrare, corpus & sanguinem domini consecrare, & sanctum Eucharistiæ sacrificium offerre, pœnitentes absoluere, impœnitentes, præfractos, & manifestis criminibus obnoxios excommunicare. Postremo pro tota Christi ecclesia et prẽcipue pro grege sibi commisso deum orare. Hæc sunt enim ecclesiasticorum munera, hæc eorum officia, in quibus tamen exequendis, illis regulis et ritibus se accommodare debent, quæ illius ecclesiæ aut regionis quam ipsi incolunt, legibus consentaneæ sunt. Porro quoniam hoc munus in ecclesia non conuenit quibuslibet, qui illud cupide forsan ambire & affectare soleant, propterea Paulus episcopi et presbyteri dotes, in his epistolis quas ad Timotheum ac Titum scripsit, accurate enumerat. Oportet (inquiens) episcopum esse irreprehensibilem, tanq; dei dispensatorem, non præfractum, non iracundum, non multo uino deditum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, iustum, sanctũ, pium, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est

Officia ministrorũ ecclesiæ

Episcopi et presbyteri dotes ex Paulo.

fidelem ſermonem, ut poſsit hortari doctrina ſana & contradicentes redarguere.

ET HACTENVS quidem de preſbyterorum ordinatione, eorumq; functione et miniſterio, ac poſtremo quales eſſe et quibus uirtutibus ornari debeant, quo potuimus compendio perſtrinximus. Quoniam autem uetus quidam error eſt donatiſtarum, (quæ hęreſis multis iam retro ſeculis ab eccleſia condemnata eſt) dicentium, ſacramenta, cum per malos exhibentur, uim ſuam et gratiam amittere: cogitandum eſt iuxta elegantẽ hac in re adhibitam à Gregorio Nazianzeno ſimilitudinem, q; quemadmodum nihil refert ex ferrõne an ex auro ſigillum impreſſeris (eandem enim utrobiq; reddi imaginis ſpeciem) ita nihil intereſt quoad ſacramenti uirtutem aut efficaciam, à bonõne an malo homine miniſtretur. Sacramentum enim operationem ac uim ſuam habet, non ex hominis malicia aut probitate, ſed ex dei uerbo. Nam quamuis in ſacramentis miniſtrandis dei uicem gerant epiſcopi ac ſacerdotes, authoritatemq; ac poteſtatem à deo, ad præſtanda ea quæ ſui miniſterij ſunt, acceperint: non tamen ipſi tanquàm à ſe prouenientem gratiam illam ſacramentorum, aut ullum ſpiritus donum impertiunt, ſed à dei operante uerbo ac ſpiritu omnis nobis gratia in ſacramentis confertur, deoq; ſoli tanquàm præcipuo authori, ſummæq; cauſæ totius ſanctificationis noſtræ acceptũ eſt referendum, quicquid gratiæ aut ſpiritualis doni ex uerbi ipſius aut ſacramentorũ uirtute percipimus. Qui pro ſua bonitate in uerbi et recto ſacramentorum miniſterio, nunquàm non efficaciter operatur. Preſbyteri uero et epiſcopi, quòd ad ſacramentorum uim attinet, nõ niſi externum miniſterium præſtant, manu uidelicet ac lingua peragentes myſteria, deus autem iuxta promiſsionem & pactum initum cum ſponſa ſua eccleſia, miniſtrorum actioni aſsiſtit, gratiamq; infundens ſuam, ſacramen-

Donatiſtarũ error.

Serm. in ſanctũ baptiſma.

Malicia ſacerdotis uim ſacramenti nõ impedit.

Gratia nobis à deo per uerbum et ſacramenta confertur.

sacramentorum operatur effectum. In hanc sententiam scribit Chrysostomus. Homi. 85. in Ioannem. Quid sacerdotes dico? neq; Angelus neq; Archangelus quicquàm in his quæ à deo data sunt efficere potest. Sed pater et filius et spiritus sanctus omnia facit, sacerdos et linguam & manus præbet &c. Ita etiam Ambrosius, Homo imponit manus, deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, et deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, et deus tribuit dignitatem. Itaq; hoc omnibus certo persuasum esse debet, uitio ministri non impediri uim sacramenti, nec sacerdotum meritis sed deo efficaciam mysteriorum attribuendam esse. Chrysostomus. Ambros. de dignit. sacerdotali.

IAM VERO præter episcopos & sacerdotes, diaconorum etiam scriptura meminit, traditq; hos ab apostolis per orationem et manuum impositionem ordinatos ac constitutos fuisse, quemadmodum in actis apostolorum legitur. Quales autem et quibus uirtutibus præditi diaconi esse debeant, apostolus ad Timotheum ostendit, ubi iubet ut pudici sint, non bilingues, non multo uino dediti, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Horum munus in primitiua illa ecclesia fuit, partim pauperum quos ecclesia alebat curam habere, & eis de ecclesiæ facultatibus (quarum dispensatio ipsis credita erat) prout necessitas exigebat, uictum suppeditare: partim uero episcopis & præsbyteris in officio ecclesiastico assistere & ministrare. Diaconi. Act. 6. 1. Tim. 3.

DE HIS tantum ordinationibus presbyterorum ac diaconorum, scriptura expresse meminit, ac testatur eas ab apostolis collatas fuisse, modumq; conferendi describit, nimirum per orationem et manuum impositionem. Addidit autem istis primitiua ecclesia ordines alios, quos minores uocant, nempe subdiaconos, acolythos, exorcistas, lectores. Ordines minores.

ctores &c. de quibus, et si nihil est diſertis uerbis in ſcriptura proditum, at horum tamen ſcriptores eccleſiaſtici primę poſt apoſtolos uetuſtatis, una cum antiquiſsimis concilijs, mentionem faciunt. Et in concilio Aphricano quarto, cui Auguſtinus interfuit, una cum ſuis ritibus & ceremonijs, quibus cõferebantur, nominatim et ordine recẽſentur.

Ordo ſacramentum.

ATQVE hæc hactenus ſatis ualere arbitramur, ad demonſtrandum ordinis ſacramentum in eccleſia ab apoſtolorum ætate perpetuo retentum et ſeruatum eſſe. Et ſacramenti quidem nomen ordini ſemper fuiſſe tributum, ut cæteros authores taceamus, unius Auguſtini teſtimonium luculenter oſtendit, ubi de baptiſmo & ordine loquens in hũc modum ſcribit. Vtrunq; ſacramentum eſt, et quadam conſecratione utrunq; homini datur, illud autem cum baptizatur, hoc uero cum ordinatur. Ideo non licet in eccleſia catholica utrunq; iterari. Et multa in hanc ſententiam contra Parmeniani epiſtolam &c.

Aug. contra epiſtolam Parmeniani.

IAM VERO quod ad diſtinctionem authoritatis aut iurisdictionis inter archiepiſcopos, primates, metropolitanos, cæterosq; inferiores epiſcopos aut preſbyteros ſpectat: ſciendum eſt hoc totum diſcrimen legitimæ poteſtatis, quam unus epiſcopus ſuper alium obtinuit aut etiamnum obtinet, non eſſe ex diuina inſtitutione, ſed à iure tantum humano profectum, hominumq; ordinatione & conſenſu firmatum, adeo ut quiſquis ille epiſcopus fuerit, qui ullã in eccleſia ſublimitatem aliunde uendicare ſibi audeat, et ſe reliquis eminentiorem conſtituere, hic plane non iuſtã poteſtatem ſed tyrannidem manifeſte exerceat.

Diſtinctio authoritatis epiſcoporum a iure humano profecta.

QVARE illa Romani pontificis poteſtas, qua ſe omniũ in catholica per orbem eccleſia & preſbyterorũ & epiſcoporum caput ac rectorem, idq; iure diuino eſſe pronunciat, commentitia plane eſt & falſo excogitata. Neq; enim eiusmodi

R. pontificis poteſtas commentitia.

modi in ecclesia dominationem Christus ipse in scripturis cuiquàm mortaliũ unq̃ dedit, neq; patres eam in antiquissimis conciliis approbauerunt, neq; uniuersalis demum catholicæ ecclesiæ consensus roborauit.

ET VT à scripturis incipiamus, nec Petro sane, nec ulli ex apostolis, eorumue successoribus, ullum tale supra omnes alios uniuersale regimen, ac potestatem à Christo collatam fuisse, constat. Imo uero apostolos omnes pari & honoris et potestatis consortio (ut Cyprianus loquitur) præditos fuisse, ex illis omnibus scripturæ locis, qui ullius à Christo ipsis collatæ potestatis mentionem faciunt, manifestum est. Et Paulus ad Galatas scribens, Iacobo se et Petro et Ioanni æquare haud ueretur, æqualem se ac parem cũ illis authoritatem adeptum esse affirmans.

Apostoli honore & potestate pares. Cyprianus de simpl. prælatorum. Gal. 2.

QVOD si concilia antiquissima et celeberrima hac de re producere libeat, facile comperietur: nullam supra omnes uniuersalem potestatem Romano pontifici ab ipsis datam fuisse: utpote in quibus decreta non pauca inueniuntur, quæ uniuersalem hanc (quam sibi Ro. præsules iam seculis aliquot iniuste uendicarunt) potestatem, apertissime cõuellunt ac in ordinem redigunt.

QVOD ut certius christiane lector cognoscas, canones aliquot ex insignioribus conciliis in medium adducemus. Et primum ex ipso longe omnium celeberrimo Niceno, ubi constitutũ legimus, ut mos antiquus perduret in Egypto uel Lybia et Pentapoli: ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Romano episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam cæteraſq; prouincias, honor suus unicuiq; seruetur ecclesiæ.

Niceni concilij canon. 6.

HIC canon satis dilucide ostendit, Rom. pontificem non in omnes christiani orbis ecclesias tunc temporis potestatem

tem habuisse, sed terminatam ac certo limite circũscriptam iurisdictionem exercuisse, nec Alexandrino & Antiocheno fuisse superiorem. Iam uero in Mileuitano concilio (cui magnum illud ecclesiæ lumen Augustinus interfuit ac subscripsit) canon est quo prohibetur, ne presbyteri, diaconi uel cæteri inferiores clerici, in causis suis ulla extra Aphricam adeant iudicia, nec prouocent nisi ad Aphricana concilia, uel ad primates prouinciarum suarum: ad transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Aphricam in communione suscipiendũ esse. Ad hæc in concilio Constantinopolitano primo decretum est, ut controuersiæ ab episcopis prouinciarum ubi ortæ fuerunt, terminentur, nec extra suas diœceses episcopi potestatem usurpent. Atq; in hac sententia sanctissimus martyr Cyprianus, cæteriq́e Aphricanæ ecclesiæ patres fuere, priusq̃ adhuc ulla generalia concilia celebrarentur.

Milevitani concilij canon.

Constantinopolitanum cõcilium primũ.

MAXIME uero ac multo apertissime hanc Ro. pontificis summã iniustitiam (qua se præsidem fecit totius ecclesiæ) redarguit sextum Aphricanum concilium, quo legatos suos cum Romanus misisset, qui hanc ipſius de primatu causam agerent, et de controuersiis ad Romanam sedem transferendis, contra ecclesiæ Aphricanæ decreta contenderent: ex ementito quodam Niceni concilij canone, uniuersalem istam episcopi Romani potestatem astruere conati sunt. Ita enim in sanctissimo illo patrum apud Nicæam cõuentu statutum dicebant, ut unus Romanus omnibus præesset, et de aliorum omnium causis iudicaret. Cæterum cum Aphricani negarent ullum talem canonem extare, et nihilominus Romani illi legati litigare pergerent: ad controuersiam sedandam nuncij quidam à cõcilio ad Patriarchales in oriente sedes missi sunt, qui uetusta et integra Niceni concilij exemplaria de hac re consulerent. Quid multa? perlectis consultisq;

Concil. sextũ Aphricanum.

tisq; exemplaribus deprehensum est, quod à Romanis obiectum erat, fictum fuisse et uanum. Nam missis per internuncios epistolis, Orientaliũ ecclesiarũ patriarchæ Aphricanis significarunt, nullum talem in Niceni concilij exemplaribus (qualem Romani uolebant) canonem extare.

DVO autem hic ualde notanda occurrunt, quæ ex his quæ iam narrauimus clare possunt intelligi. Primum, quòd hæc uniuersalis potestas Romani pontificis, nullam habeat ex scriptura syllabam, qua probari possit. Manifestum est enim, q; si existimasset hanc causam scripturis firmari potuisse, eas per legatos suos, pro stabilienda ista quam uendicat potestate, producendas curasset. Et certe illi tanti patres, (in quorũ numero etiam magnus ille magister ecclesiæ Augustinus fuit) ea doctrina et scripturarum intelligentia præditi erãt, ut si hæc res in scripturis uspiam latuisset, haudquaq; illis potuisset esse incognita. Ac rursum ea fuerunt integritate et sanctimonia, ut si rem eiusmodi scripturis comprehensam fuisse nouissent, nunquàm aliquid in contrarium decernere, aut illi tam acriter eo tempore reclamare, in animũ induxissent.

Nec scripturis nec antiquis conciliis primatum Ro. põtificis asseri conuincitur.

SECVNDO notandum, hanc quam Romani episcopi sibi uendicant potestatem, nullis antiquis conciliis niti. Nam si fuissent ulla eiusmodi, ea tunc haud dubie per legatos suos in medium produxissent. Sed nihil quicquàm prolatum est, præter unum hunc fictum Niceni canonem, qui quantumuis diligenter quæsitus, hactenus tamẽ nusq; inueniri potuit. Cum autem unus tantum extet in ipsis authenticis canon, in quo Romani episcopi fit mentio; eo tam aperte potestas ista, quam sibi hæc sumit hierarchia, retunditur: ut merito pudeat hac de re Niceni concilij testimonium adhibere.

POSTREMO nec communi totius ecclesiæ catholicæ consensu hanc uniuersalem potestatem Romanis episcopis

Cõsensus uniuersalis ecclesiæ nunquam primatum istũ tribuit Ro. episcopo.

unq̃ datam esse, multa ueterum historiarum monumenta declarant. Ex quibus liquet, complures patriarchas et archiepiscopos hanc potestatem non agnouisse, ut Constantinopolitanum et cæteros in oriente, et propius etiam in ipsa Italia, Rauennatem, Mediolanensem, cum alijs.

Agathonis epistola.

QVID ꝙ Agatho, qui aliquot iam seculis post quatuor illa principalia concilia Romanæ ecclesiæ præfuit, in literis suis quas ad imperatorem de cõcilio Constantinopoli indicendo scribit, plane affirmat ac confitetur, potestatem suã ad occidentis tantum episcopos extendere. Quam si quis legat epistolam, facile uidebit, nec scripturis nec concilijs nec uniuersalis ecclesiæ consensu, primatum istum fulciri.

De Constantiense et Basiliense concilio.

QVOD si recentiora inducantur concilia, ut Constantiense aut Basilience, quis nõ uideat, tum hęc schismatum tempore celebrata fuisse, tum eos qui illis concilijs interfuere, uarijs dissidijs et factionibus, prout unusquisque principis sui aut regionis partibus erat addictus, fuisse distractos, eoq; minus integre quid uerum ac rectũ esset perspicere potuisse? Erat tum plane miseranda ecclesiæ facies, regnis regibusq; à se inuicem discordantibus, et sese mutuo execrantibus, dũ quæq; fere suum Papam regio foueret. Quid quòd multo maxima doctorum pars, quæ illis concilijs interfuerat, ex istis nuper in mundo exortis monachis et mendicantium sectis conflata erat. Quos omnes nihil mirum est Romano pontifici (cum ob suas immunitates et exemptiones, aliasq; sibi commodas rationes, adeo illi deuincti & obęrati essent) fauere uoluisse. Atq; hoc certe hominum genus palam est tunc temporis in ecclesia regnasse. De quorum doctrina nihil est ut dicamus, quũ satis cõstet, eos plerosq; syncerioris theologię & scripturarum admodũ imperitos fuisse. nec ulli ferè studiorũ generi quàm argutijs scholasticis dedisse operam, et ab illa antiquitatis puritate multum degenerasse.

Sectæ recentiorum monachorum.

Monachi scholastici.

Postre-

POSTREMO autem nec pacatũ exitum habuerunt hęc duo concilia, ſed tumultuoſe inchoata tandem interrupta & diſſipata ſunt, nec pragmatica illa, ut uocant, horũ conciliorũ decreta, in ulla uſq; authoritate uel uſu poſtea ſunt habita.

Concilium Florentinum.

HIS NON multum diſsimile fuit concilium poſtea Florentiæ, ex eiuſdẽ farinæ hominibus coactum, niſi quòd minore ſynceritate aut chriſtianæ reformationis zelo celebratum eſt. In quo cum miris artibus ad poteſtatem iſtam Romani pontificis comprobandam græci & orientales adducerentur, illorum tamen hac in re conſenſus adeo ſuis, cũ domum redirent, diſplicuit (nempe quòd & ſacris literis priſciſq; ſynodis & patrum monumentis adeo contrarium eſſe cernerent) ut nec illud de primatu decretum, uel tum receperint, uel admittere unq; ex eo tempore uoluerint.

Romani pontifices iuramẽtum uiolant.

ITAQVE ex his omnibus, quæ iam cõmemorauimus, aperte liquet, ſummã hãc in eccleſia dominationẽ à Romanis epiſcopis uſurpatam, non ſolum omni uel ſanctarum ſcripturarum uel catholicæ eccleſiæ conſenſus præſidio deſtitui, uerum etiam aduerſari antiquiſsimis conciliis, ad quæ ſeruanda ſemper ipſi ſe Romani pontifices, cum creantur, iureiurando obſtringunt. Nam id ſolenne ac perpetuum eſt in noui pontificis creatione, ut omnes conſtitutiones illas quæ in primarijs illis octo ſynodis editæ ſunt, ſancte firmiterq; ſe obſeruaturũ iuret. In quibus tamen canones illi ſunt, quos ante recenſuimus, qui uniuerſali huic authoritati apertiſsime reclamant.

Ro. pontificũ impudens ſuperbia, qua ſe regibus mundi præferunt.

QVVM itaq; ſatis perſpicuum ſit, Romanos pontifices iniuſtam plane dominationem in cæteros epiſcopos, atq; adeo in uniuerſum clerum exercuiſſe, facile eſt cordatis omnibus perſpicere, quàm impudens illa ſuperbia ſit, qua ſe & totius orbis monarchas iactitare, & ſuper omnes reges ac mundi principes ita extollere auſint, ut ſe poſſe eos de im-

perijs regnisq; deponere,& eadem in alios pro arbitrio ſuo tranſferre impudentiſsime contendant. Quum ſcriptura tamen omnibus manifeſtiſsimè præcipiat, ut regibus ac magiſtratibus obedientiam præſtent. Omnis inquit anima(nõ excipit preſbyteros epiſcopos, aut pontifices, quantumuis maximos)poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.Sane reges & principes chriſtiani in altiſsimo dominationis & poteſtatis loco in hoc ſęculo à deo conſtituti ſunt, et ad populi ſui gubernationem ac regimen, ſupremam à deo ſublimitatem in terris acceperunt. Qui cum ſint rerum publicarum ſuprema capita, illis ſubijci ac obedire (nemine excepto) omnibus ſane eſt mandatum.

Ro. 13.

Reges ſummi dominatores in hoc ſæculo.

VTINAM omnes Romani pontifices cum ſuis aſſentatoribus,uel unum Chryſoſtomũ audirent illa Pauli uerba enarrantem.Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus.&c. Sic enim ille in hunc locũ ſcribit. Κἂν ἀπόστολος ᾖς,κἂν εὐαγγελιστὴς κἂν προφήτης,κἂν δίσουν, οὐδὲ γὰρ ἀνατρέπει τὴν εὐσέβειαν ἡ ὑποταγή,καὶ οὐχ' ἁπλῶς πειθέσθω ἀλλ' ὑποτασσέσθω.Hoc eſt, etiam ſi apoſtolus ſis, etiam ſi euangeliſta, etiam ſi propheta, aut quiſquis poſtremo fueris . Non enim ſubuertit pietatẽ hæc ſubiectio.Et non ſimpliciter,pareat,inquit,ſed ſubdita ſit.

Chryſoſtomus in epiſtolam ad Ro.

IAM uero regum ex dei præcepto intereſt, non ſolum ſubditos ſuos tueri, uim atq; iniuriam ab illis prohibere, facinoroſos iuſtis ſupplicijs afficere, iuſtitiam & æquitatem iuxta rerum publicarum leges conſeruare, quæ ad populi ſui commoda pertinent prouidere,tranquillitatem et pacem externam ac ſęcularem procurare: Sed etiam ante omnia Chriſti fidem ac religionem ſtrenue propugnare, uerum dei cultum & pietatem amplecti, doctrinam chriſtianam fouere, ueros diuini uerbi doctores in precio habere, abuſus autem

Regiũ in eccleſia dei munus.

autem prauasq; consuetudines omnes, quæcunq; in ecclesiam, hominum negligentia et socordia irrepserint abolere, hæreses, mala dogmata, Idololatrias extirpare, atq; in horũ malorum authores pœnam constituere, postremo inuigilare et efficere, ut presbyteri omnes et episcopi suo officio diligenter incumbant, illisq; rebus potissimum intenti sint, quæ ipsis à Christo et apostolis eius traditæ ac commissæ fuerunt. Cuiusmodi sunt puræ ad deum preces, diligens et syncera uerbi dei prædicatio, recta sacramentorum administratio et his similia. In quibus si negligentiores inuenti fuerint, iuste ac merito à principibus suis, ut id quod in ipsorũ officijs deest, resarciant, cogendi sunt. Quod si facere recusauerint, et principum suorum monitionibus aut mandatis obstinate restiterint, merito sunt per eosdem à functione sua deponendi, alijq; in ipsorum substituendi locum.

Episcoporũ & presbyterorum officium.

ET HOC à deo omnibus tum episcopis tum presbyteris clericisq; uniuersis præceptum est, ut regibus suis et magistratibus omni cum modestia se submittentes pareant, eorumq; legibus et edictis (quatenus cum iure diuino consentiunt) obtemperare non recusent: idq; non solum iræ formidine, sed etiam conscientiæ causa, ut Paulus admonet.

SATIS itaq; clare, ut arbitramur, elucet, usurpatam hanc et iniquissime occupatam Romani præsulis monarchiam, ex euangelicis literis nihil firmamenti habere: Imo plane diuinis legibus repugnare et contrariam esse.

QVAE cum ita habeant quis non uidet, christianorum principum esse (si suum uelint coram deo officium præstare, et cõscientijs suis consulere) ut enitantur et contendant: uti ista omnia ad pristinam illam integritatem et antiquam primitiuæ ecclesiæ puritatem reuocentur? Non dubium enim est ecclesiam illis temporibus optime gubernatam et administratam fuisse, hominesq; pietate et doctrina insignes ma-

Christianorum principũ quod uere officium sit.

xima tum copia floruisse. Quare necessario consequitur, quæ tunc in ecclesia instituta ac ordinata fuere, magis esse doctrinæ Christi consentanea, atq; ad promouendam dei gloriam et christianorum salutem longe efficaciora, quàm ulla alia, quæ posterioribus sęculis à pontificibus Romanis, aut hominibus illius sedis principatui addictis, excogitata et Christiano populo obtrusa fuerunt.

Restituenda ecclesia ad antiquam puritatem.

CONFIRMATIO.

IEGIMVS APOSTOLOS in primordio ecclesiæ, quàmuis scirent ac certo crederent in baptismo perfectam omniũ peccatorum remissionem donari, et homines eo sacramento rite suscepto Christo insitos, sancti spiritus participes fieri: nihilominus tamen oratione et manuum impositione super ijs qui baptizabantur postea usos fuisse.

Act. 8.19.

QVO ritu spiritus sanctus qui in baptismo ad emundationem datus est, hic ad robur etiam et uirtutis augmentum plenius infundebatur. Et edidit quidem deus in ecclesiæ initio eximia miracula, quibus huius sacramenti efficaciam declarauit, nempe linguarum donum et prophetiam: partim ut fides christianorum qui iam in ecclesia erant, eiusmodi signis constantior et firmior redderetur: partim ut infideles facilius ad euangelij professionem per eadem miracula adducerentur.

QVOCIRCA prisci ecclesiæ patres exemplo apostolorum permoti, eorumq; facta sibi sequenda statuẽtes, simulq; consyderantes eos qui in baptismo spiritum sanctum acceperant, postea tamen uel carnis uel diaboli tentationibus uictos, in peccatum rursus et posse et solere relabi: ad remediũ

huius

huius infirmitatis curauerunt, ut quotquot baptizati erant confirmationis etiam beneficio adiuuarentur: uidelicet ut ad episcopos adducti atq; illorũ sibi impositis manibus & oratione deo commendati, sacriq; chrysmatis consignatione muniti, confirmarentur, id est, eam acciperent spiritus sancti gratiam, ut in sanctificatione, prius baptismo percepta, firmiores ac ualidiores redderentur, nec tam facile aut cito inde excciderent, sed fortes iam et constantes dona semel accepta retinerent, et pietatis officijs insistentes mũdum contemnerent, crucem strenue perferrent, atq; in summa, uirtutis incrementũ et gratiæ maiorem copiam acciperent. Atq; hunc, quem diximus, baptizatos confirmandi morem, ab ipsa apostolorum ætate ad nostra usq; tempora, perpetuo in ecclesia obseruatum esse constat.

Confirmatiõis sacramentũ ad quid cõferatur

QVANQVAM autem à nullo christiano sacramentum hoc cõfirmationis contemni debet, quo minus liberos suos iam baptismate initiatos, illius suscipiendi gratia episcopis offerat: tamen non eius esse necessitatis putandum est, quin si ante eiusmodi confirmationem infantes ex hac luce migrauerint, uirtute baptismi absq; hoc sacramento ad salutem queant peruenire.

EXTREMA VNCTIO.

VNCTIONEM ILLAM quæ extrema uocari solet, ecclesia catholica ægrotis eam petentibus ministrare consueuit, idq; iuxta regulam quam beati Iacobi præscribit epistola. *Iac. 5.*

HVIVS autem sacramenti finis hic est, ut per diuinam in sacramenti ministratione uirtutem & orationes presbyteri atq; astantium, ægrotus & corporis sanitatem

nitatem recuperare, & peccatorum remiſsionem conſequi poſsit. Ita enim Iacobus. Infirmatur quis in uobis, inducat preſbyteros eccleſiæ, et orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, et aleuiabit eum dominus, et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

QVAE ſententia ſacramenti huius uſum ſatis aperte probat, ita ut certum habeat eccleſia dei uerbum, quo confirmetur atq; in illius adminiſtratione nitatur. Quanq̃ autem nõ ſemper corporis ſanitas hoc ſacramentum conſequitur, at non inanes tamen aut irritas eſſe orationes quibus ea petitur credendum eſt, Quando has deus in ſuam gloriam et fidelium ſalutem uertere ſolet, & ſi homines id quod poſtulant non ſemper uideantur impetrare. Nam ut Paulus inquit, neſcimus quid oremus, et quid nobis maxime expediat fere ignoramus. Quamobrem etſi à nobis requiritur, ut inter orandum in fide poſtulemus, nec de diuina promiſſione (qua petentium uota ſe exauditurum promiſit) quicq̃ dubitemus: at noſtro tamen iudicio nõ ita adhęrendum eſt, ut deo pręſcribamus, quid nobis largiatur, quin potius nos totos deo committentes, id debeamus optimum arbitrari, quicquid illi de nobis ſtatuere uiſum ſit, & ſi id à noſtris uotis q̃ maxime diſsideat. Debent itaq; orantes animos ſuos diuinæ uoluntati ſemper ſubmittere. Cuius ea eſt erga nos dilectio et cura, ut non niſi quàm optime de rationibus noſtris diſponere, et ea tribuere uelit, quæ ad ſalutem & æternam uitam nobis comparandam pertinent, ad quam præcipue noſtras preces dirigere ac referre ſemper oportet.

Rom. 8.

Orantes diuinæ uoluntati nos ſubmittere debemus.

PORRO ubi Iacobus loquitur de remiſsione peccatorum impetranda in hoc ſacramento, cum hoc donum ita nobis optabile ſit, ut illius petitio ſingulis ferè momentis propter frequentes noſtros lapſus repetenda nobis ac iteranda ſit, et nunquàm non clamandum, Dmitte nobis debita

Remißio peccatorum aßidue petenda.

bita noſtra &c: Credendum eſt à clementiſsimo deo in hoc ſacramento efficaciter operante, per ſacerdotis atq; una precantium interceſsionem, ægroto uenialia ſaltem peccata, in quæ per naturæ infirmitatem aut uim morbi incidit, condonari. Nec uana inde ſpes et præſumptio haurienda eſt, ex huius ſacramenti effectu, quaſi illius uirtute à peccatis omnibus mundari poſsimus, niſi digna pręcedat pœnitentia. Nec enim prodeſſe cuiq̃ poterit huius ſacramenti uſus, pręterquàm iis qui à peccato conuerſi, in gratiam cum deo redierunt. Hi ſane ex hoc ſacramento haud exiguum leuamen percipiunt, et ad ſuſtinendos diaboli impetus (qui tum maxime ęgrotantes oppugnat quum morbi uiolentia infeſtantur) fortes et conſtantes efficiuntur.

Peccata quomodo in extrema unctione remittantur.

QVOD autem hoc ſacramentum extremę unctionis nomen ſit ſortitum, non ita accipiendum eſt, quaſi ſemel tantum, idq; in extremo uitæ exitu cum mors iam imminet, exhibendum ſit. Nam in principio potius morbi hoc ſacramento utendum foret, nec ſemel in uita dumtaxat, ſed ſępius ſi ita occaſio poſtularet, nempe quoties in grauem quis & periculoſam inciderit ægritudinem. Sed ideo extremam uocarũt eam patres, quòd poſt cæteras omnes, quæ in alijs ſacramentis adhibentur unctiones, hæc ultima ſit. Nam et in baptiſmo, & confirmatione, & ordine, ſacri unguenti adhibetur myſterium.

Extrema unctio cur dicatur.

ET QVONIAM ſacramentum Euchariſtiæ, ſi rite ſumatur, uere eſt ſpiritualis fidelium eſca & uiaticum, cuius paſtu uires chriſtiani hominis in omnibus periculis & aſperis uitæ dimicationibus (præſertim morte imminente) reficiendæ ſunt: propterea expediret ac ſatius eſſet, corpus dominicum poſt extremã unctionem in morbis ſumere. Sane enim Euchariſtia omnium ſacramentorũ perfectiſsima conſummatio eſt.

Extrema unctio quando repetenda.

EXPOSITIS itaq; hunc in modum septem ecclesiæ sacramentis, de eorum usu et effectu satis constare potest.

Baptismus. NAM baptismo ecclesiæ quæ est corpus Christi inserimur, percipientes hoc sacramento peccatorum remissionem et gratiam, qua uitæ nouitatem inchoare possimus.

Pœnitentia. A BAPTISMO uero qui in peccatū mortale lapsi sunt, ad gratiam in baptismo perceptam restitui & uiua Christi membra denuo effici, per sacramentū pœnitentiæ possunt.

Eucharistia. IN SACRATISSIMA Eucharistia, est preciosum illud & ter adorandum domini corpus & sanguis, tam sub panis quàm uini specie. Quo in sacramento cum Christus ipse, qui omnium sacramētorum uirtus est, tam præsens sit, inter omnia sacramenta hoc maximę et præstantiæ & dignitatis esse merito iudicatur.

Matrimoniū MATRIMONII sacramentum necessario institutum est, ut generis humani propagatio deo accepta fieret, et absq; peccato posit continuari. Quæ uitæ ratio etsi apud deum in honore et gratia sit, ac proinde legitimę uiri et mulieris coniunctioni deus in hoc sacramento assistat: non tamen habet illam ex præcepto necessitatem, ut omnes ac singuli hoc uitæ genus amplecti debeant, sed res est omnibus in libertate et arbitrio posita, utrum coniunx quis an cœlebs esse uelit, sacerdotibus tantū exceptis, et his qui nec temere nec coacti de cœlibatu seruando uotum ediderunt, iis enim in suo statu cui se uoluntarie addixerunt, uoluntarie permanendum est, et à coniugio abstinendum.

De cœlibatu clericorum.

Ordo. ORDINIS sacramentum etsi non est cuiquàm præceptum, tanquàm ad salutem necessarium, necessario tamen in ecclesia seruatur, ut per ministros rite cōstitutos, spiritualis fiat filiorū dei generatio ad consummationē sanctorū, in opus ministerij ad ædificationem corporis CHRISTI.

Confirmatio, RELIQVA duo sacramenta, nempe confirmatio, et extrema

trema unctio, etsi non ita sint absolute necessaria, ut absque illis ad salutem peruenire nequeat: tamen quia uberiorem per illa gratiam, uirtutem et consolationem homines percipiunt, salutaria sane & utilia existimanda sunt, ac proinde à christianis & expetenda, & reuerenter accipienda. *Extrema unctio.*

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

PRAECEPTVM PRIMVM.

Non habebis deos alienos coram me.

MANDATVM HOC VT EST OMnium ordine primum: ita inter cætera omnia præcipuum et maximum est. Ea enim quæ ad præcipuum et summum dei cultum spectant, hoc mandato à nobis requiruntur: perfecta scilicet fides, spes solida, syncerus dei amor ac timor.

CVM autem hoc præcepto deos alienos habere prohibemur, insinuatur nobis unum solum deum esse eumq; solum pro deo à nobis habendum: præter quem deus alius nullus est. Porro ubi de habendo deo loquimur, non ita putandum est haberi deum ut res externas, ut uestem, pecuniam, at ne ita quidem ut in ore tantum aut summis labris habeatur, aut externo tantum cultu et corporis gestu adoretur: sed deum habere, est diuinam eius uirtutem mente concipere ac complecti, illi constanter et omni animi affectu inhærere, omnem spem in eo fixam habere, et omni cura studio & solicitudine huc incumbere, ut illi placeamus, ex eo solo pendere, in illo acquiescere, reputantes eum *Habere deum quid sit.*

esse infinitæ erga nos & bonitatis & misericordiæ, neq; nos, cum ab ipso et conditi simus & redempti, unq̃ esse desertu-rum, modo de grege ipsius esse pergamus, nec ab eo perfi-dia nostra deficiamus.

IN HVNC sane modũ à nobis haberi deus postulat, neq; ut hoc modo alias creaturas aut idola habeamus patitur. Quemadmodum enim maritus æquo ferre animo non po-test, ut coniunx sua ipso uiuente uirum alterum habeat: ita nostri amantissimus deus pati nõ potest, ut ipso relicto alia numina habeamus, et creaturas pro creatore colamus.

NEC sane ulla est aut esse potest creatura tam præsens no bis, aut tam parata ad subueniendum, suumúe in nos decla-randum amorem: quàm est deus ipse, qui nos et condidit et redemit. Ex cuius gratuito munere proficiscitur quicquid habemus, anima, corpus, uictus, amictus, ingenium, ratio, intellectus, iudicium, & quęcunq; demum inter animi no-stri aut corporis bona censentur. Quare non multam pa-tietur tantam à nobis ingratitudinem, ut eo repudiato aliud quippiam præter eum pro deo habeamus, aut spem nostrã (quam in ipso fixam oportuit) in creatura tanquàm in deo collocemus.

Primo præce-pto fidem spẽ et charitatem à nobis exigi.

NEC uero spem tantum in deo habendam hoc præce-ptum requirit, sed summum etiam erga deum amorem exi-git, ut quem à nobis super omnia, et magis quàm nos ipsos diligendum præcipit: ita ut nec nos ipsos, nec ullam rem aliam nisi propter ipsum amemus. Sicut et Moyses in Deu-teronomio præceptum reliquit: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, & ex tota for-titudine tua. *Deut. 6.*

Timor dei.

ATQVE hic amor timorem secum habere coniunctum debet, ut amoris causa metuamus, & pudeat nos uel mini-mum dei præceptum uiolare; Quemadmodum filius, quo

patris

patris est amantior, eo magis illi displicere, aut ulla in re offendere ueretur.

CONTRA hoc præceptum offendunt, qui in res terrenas magis quàm deum. cor suum affixum & intentum habent. Quicquid enim id demum fuerit, cui affectus noster magis quàm deo inhæret, aut cuius gratia deum offendere non timemus: id plane nos iam deum nostrum facimus. Nam ut Paulus inquit. Auarus idolorũ cultor est, ut & gulosus. Ille quod Mammonam ac diuitias, hic quod uentrem ueluti adorat ac ueri numinis loco habet. *Deos alienos quomodo sibi homines faciant.* *Ephes. 5.*

NEQVE secus faciunt illi omnes, qui spem suam in creaturis magis quàm in deo cõstituunt. Hi enim rem creatam sibi deum faciunt. Quod quantum & quàm atrox coram deo facinus sit, ex historia Azæ regis Iuda liquet, secundo Paralip. capite decimo sexto. Qui cum à Basa rege Israel bello premeretur, et data ingenti mercede regis Syriæ auxilium sibi imploraret, per Hanani propheram à deo missum acriter hisce uerbis correptus est. Quia habuisti fiduciam in rege Syrię, et non in domino deo tuo: idcirco euasit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nonne Ethiopes et Lybies multo plures erant quadrigis & equitibus & multitudine nimia, quos cum in domino credidisses, tradidit in manu tua? Oculi enim domini contemplantur uniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Ex his prophetę uerbis intelligimus, grauiter reprehensum esse hunc regem, quòd in deum non crediderit, eo quòd spem suam potius in Benadad rege Syrię quàm in domino collocarit. Notatur insuper in eodem capite, quòd cum Aza ex pedibus laboraret, non quęsiuit dominum in infirmitate sua: sed in medicorum arte magis confisus est. Vnde hoc nobis discendum occurrit, ad perfectam nimirũ fidem pertinere, ut spem nostram & fiduciam in deo præci- *2. Paral. 16.* *Aza rex à propheta quare correptus.* *Fides perfecta.*

pue et ante omnia repoſitam habeamus. Qui uero aliter faciunt, in hoc primum præceptum non leuiter delinquunt, & prꝛter uerum deum alios ſibi deos formant.

Nec præſumẽdũ, nec deſperandum.

PORRO illi quoq; peccant in hoc præceptum, qui uel nimia præſumptione de miſericordia dei, abſq; omni timore iudicij in peccatis ſecuri perſeuerant, uel qui ſic horrent dei iudicium ut deſperantes de peccatorum uenia ſpem miſericordiæ penitus abijciant.

Diuinatio.

SVNT etiam illi huius præcepti tranſgreſſores, qui per ſortes, diuinationes, auium garritus, chiromantiam quæ per manuum inſpectiones fit, aut alias quaſcunq; prohibitas ac ſuperſtitioſas artes, de humanis actionibus ſiue rebus alijs futuris pronunciare, et certo decernere non uerentur. Hi enim quid aliud quàm ſe deos faciunt: ſicut Eſaias inquit. Annunciate quæ uentura ſunt in futurum, et ſciemus quòd dij eſtis uos.

Eſa. 41.

HOC etiam præcepto arguuntur omnes illi, qui incantationibus aut ueneficijs dediti, præſcriptis literis, ſignis, characteribus, uerbis, benedictionibus, uirgis, lapidibus, ſceptris, gladijs, menſuris et his ſimilibus, utuntur: aut qui animo ſuperſtitioſo, amuleta aut appenſa à collo geſtant euangelia, aut qui in remedium morbi alicuius conſecratam aquam bibunt, aut qui uanis alioqui obſeruationibus indulgent, ita ſibi uitam propagare ſperantes, et à morbis alijsue periculis, alia ſuperſtitioſa ratione ac modo ſe liberari exiſtimant, q̃ quatenus medicorum aut chirurgorum arti conſentaneum eſt.

SED grauiſsime omnium aduerſus hoc præceptum delinquunt homines chriſtiani, qui contra profeſsionem in baptiſmo factam arcana pacta cum dæmonibus ineunt, quiue aut theſauri inueniendi, aut res abſconditas ſeu amiſſas recuperandi gratia, aut aliam denig; quamcunq; ob cauſam mali-

malignos ſpiritus exorciſmis euocant. Nam ij omnes ſceleratiſsime diuinam maieſtatem, quantum in ſe poſitum eſt, lędere moliuntur, dum eum honorem qui ſoli deo debetur, ſatanę exhibent, infeſtiſsimo dei aduerſario.

NEC illi ſolum qui incantationibus, ueneficijs, exorciſmis, cæterisq; huius generis magis impie delectantur, huius maximi præcepti ſe reos conſtituunt: ſed etiam quicunq; eos conſulunt et remedia ab ipſis quærunt, iuxta illam domini ſententiam. Non inueniatur in te qui hariolos ſciſcitetur, et obſeruet ſomnia atq; auguria, ne ſit maleficus nec incantator, neq; pythones conſulat, nec diuinos, et quęrat à mortuis ueritatem, omnia enim hęc abominatur dominus. Deut. 18.

SECVNDVM PRAECEPTVM.

Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem quę eſt in cœlo deſuper, et quę in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neq; coles.

HIS VERBIS non ſimpliciter prohibetur, ne ullam faciamus aut habeamus inter nos imaginem uel effigiem: ſed ne faciamus habeamusúe eius finis gratia, ut diuinum illi honorem et cultum deferamus, ut ex Leuitici capite uigeſimo ſexto ſatis liquere poteſt. *Imagines quomodo prohibitæ.* Leuit. 26.

QVAMVIS igitur imagines Chriſti et ſanctorum ſint humani tantum artificij opera: non ita tamen interdictus nobis eſt earum uſus, quin et habere eas, et in templis alijſq; locis erigere liceat, in hunc finem uidelicet, ut dum ea contem-

templamur, tanq̃ in libris et monumentis quibusdam uirtutum exempla, quæ in sanctis illis, quorum sunt imagines eminebant, in memoriam reuocare facilius et cogitatione reuoluere ualeamus. Atq; ita potius excitemur & moueamur ad gratiarum actionem et dei laudem, cuius mirabilis in sanctis gloria elucet, utq; nos nostri misereat ac pœniteat, qui tam longe à sanctorum uita & imitatione distamus. Atq; ita ad gratiam petendam accendamur, qua sanctorum similes (ipsorum uestigia sequendo) euadere possimus.

Imago domini crucifixi.

SIT exempli gratia, domini Iesu crucifixi imago, quemadmodum in auleis, parietibus, fenestris depicta plurimum cernitur. Exhibet hæc imago & supplet, præsertim indoctis libri uicem, in quo & exempla uirtutum à Christo discere et in acerbissimæ passionis illius recordationem excitari poterunt. Et fieri sane interdum potest, ut ex conspecta crucifixi imagine, nec inutilis nec pœnitenda cordis compunctio nobis oriatur, cum Christum in crucem actum pro peccatis nostris expiandis pie meditamur. Cuius ineffabilem erga nos charitatem, quæ illum ad crucis supplicium adegit, crebro cogitantes, mirum ni ad ipsum redamandum, qui nos sic amauit prior, merito inflãmemur. Certe ex huiusmodi aspectu, non raro nobis in mentem uenire potest sũmi illius beneficij redemptionis nostræ, per Christi mortem nobis partæ. Quam quò altius consyderamus et animo complectimur, eo ad deum in omnibus rebus aduersis maiore cum fiducia inuocandum incitamur.

HAEC certe doctrina, & multo etiam uberior subire solet eorum animos, qui crucifixi imaginem haud oscitanter aspiciunt, ubi semel de repræsentatione illius imaginis & prototypo edocti fuerint. Et quemadmodum Christus hac imagine repræsentatur: ita sancti qui ipsius imitatores fuere, proprijs imaginibus nobis describuntur. Quæ proinde in templis

templis erigi et collocari haud absurde possunt, tanquàm libri in quibus uulgus illiteratũ reducatur in memoriam sanctorum, ex quibus plurimarum uirtutum exempla cõmode hauriuntur, ut fidei, humilitatis, charitatis, patientiæ, temperantiæ aliarumq; uirtutum, quibus à deo sancti illi uiri ornati erant. Itaq; ob has causas, ut dictũ est, imagines in templis habere licet. Nec fas est cuiq; eas contemnere aut contumelia afficere, sed honorifice et reuerenter tractãdę sunt, licet interim prohibitum sit, ne diuinum honorem illis tribuamus. Atq; hæc de imaginibus parochiani à suis pastoribus docendi sunt. *Imagines sanctorum.*

CVM autem coram imaginibus thura adolemus, aut genua flectimus, aut crucem proreptantes ueneramur: sciendum est hæc omnia soli deo fieri atq; in solius dei gloriã, et non ulli prorsus imagini exhiberi, quamuis coram imagine fiant.

CONTRA hoc præceptum gentes olim ante Christi aduentum generatim peccabant. Nam statuas pro dijs colebant, et falsos sibi deos innumeros fingentes, diuinum illis honorem tribuebant, adeo ut præter maiorum gentium numina, peculiares etiam multos haberent deos, singularum scilicet regionum, urbium et familiarum, ut satis superq; nõ tam ex sacris literis, q̃ etiam ex ipsarum gentium historijs constare potest.

ET quamuis gentes, ut Paulus dicit, cognouerunt deũ: euanuerunt tamen in cogitationibus suis, nec eum ut deum glorificauerunt, sed uanis imaginationibus delusi, dum sapientiæ gloriam sibi insolenter uẽdicabant, apostolo teste stulti facti sunt. Iudæi etiam ipsi, quibus hoc præceptum in primis est traditum, sæpenumero et fere perpetuo illud uiolabant. Nam etsi ueri dei religionem profitebantur: sæpe tamen ad idola colenda delapsi sunt, ut scriptura in multis *Rom. 1.*

ſane locis ſatis clare commemorat.

ERRANT etiam uehementer et illi, qui diſcrimen inter uarias imagines ponentes, potiorem in hac uirtutem ineſſe, quàm in illa exiſtimant. Eiuſmodi enim cogitationes uanæ ſunt, cum plus uni quàm alteri imagini eandem repreſentationem habenti, tribuitur. Nulla enim imago niſi quatenus repreſentat prototypum, aliquid efficit.

ERRANT præterea, qui opes ſuas et pecuniam citius largiuntur ornandis magno ſumptu imaginibus et ſtatuis, quàm iuuandis chriſtianis pauperibus, qui uiuæ ſunt dei imagines, et ad quos alendos ac ſubleuandos, charitate et Chriſti præcepto obligati ſumus.

Peregrinationes ad ſtatuas.

CAETERVM in hac parte uel illi in primis peccant, qui ita deſipiunt, ut uota imaginibus faciant, et imaginum ipſarum gratia peregrinationes ſuſcipiant, atq; ibi inuocent etiã imagines ipſas, ſomniantes imaginẽ illis opitulaturam, aut uim aliquam diuinam ineſſe in imagine, aut deum, magis q̃ rei aliꝫ, imagini fauere: ac uelle propter illam aliquid boni præſtare, perinde quaſi ſtatuæ ſemel in templo poſitæ, uirtutem aliquã diuinã et ſupernaturalem inderet deus, quemadmodum naturalem cæteris creaturis operationem attribuit. Quibus erroribus ſi qui uel antehac uel adhuc conſtricti teneantur, eſt cur omnes piꝫ et eruditi tantam imperitiã et ruditatem grauiter ferant, et ad eiuſmodi tollendos abuſus, ſerio omnibus modis incumbant.

TERTIVM PRAECEPTVM.

Non assumes nomen domini dei tui in uanum.

IN HOC PRAECEPTO requirit à nobis deus, ut honorifice & reuerenter suo nomine utamur. Verus autem tum usus tũ cultus diuini nominis in his potissimum rebus consistit. Nempe in confessione uerę fidei, & rectæ doctrinæ propugnatione, in pura inuocatione ipsius & gratiarum actione, tam in aduersis quàm prosperis. Christus enim dicit, Qui me confitetur coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo cœlesti. Et quem mei puduerit & meorum sermonum, huius et filium hominis pudebit, cum uenerit in maiestate sua &c.

Quomodo recte utamur dei nomine.

Matth. 10.

QVIBVS uerbis docemur nõ solum ut dei nomen profiteamur: sed ut illud etiam in omnibus intrepide & constanter asseramus, nec ab illo unquàm ulla iniuria aut persecutione exagitati deficiamus.

IN omnibus etiam necessitatibus, molestijs, tentationibus & insultibus diaboli nomen domini assidue nobis inuocandum est. Ita enim eximium sane cultum exhiberi sibi reputat deus, eiusq; nomen tum à nobis sanctificari & honorari: cum ad eum quacunq; angustia oppressi confugimus, eiusq; auxilium imploramus. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me. Et apud Salomonem. Turris fortissima nomen domini, ad ipsam curret iustus et exaltabitur.

Inuocatio præcipuus dei cultus.

Psal. 49.

Prouerb. 18.

PORRO interdicta nobis est hoc præcepto omnis inanis gloria, nempe nostram famam, gloriam, aut laudem

queramus: sed mundani omnis honoris ac sublimitatis cupiditatem ex animo eijciamus. Est autem soli deo omnis gloria tribuenda, omnisq; laus & gratiarum actio illi ob innumera ipsius in nos beneficia continenter decantanda. Ita enim monemur in psalmo, Immola deo sacrificium laudis. Et Paulus, Siue comeditis, siue bibitis, aut quid aliud facitis omnia in gloriam dei facite, gratias agentes &c.

Psal. 49.
1. Cor. 10.

SPECTAT insuper hoc præceptum ad pastores ecclesiarum et ministros uerbi, quorum interest dei sermonem pure annunciare, et dei nomen sua prædicatione illustrare, errores autem & abusus, atq; adeo omnem idololatriam et hæreticorum opiniones ac dogmata refellere ac impugnare. Quanquam autem episcopi tantum ac presbyteri ad hoc prædicationis officium præsertim in publico ecclesiæ conuentu præ cæteris potissimũ uocati sunt et constituti: Singuli tamen patresfamilias tum exemplo tum sermone domum suam debent recte instituere ac moderari, et domesticos suos, cum oportunum fuerit, ad dei timorem iugiter cohortari. Ita ut, quantum in ipsis situm fuerit, peccatum & turpitudinem omnem ex sua familia propellant, & uirtutis ac pietatis usum exercitiumq; inducant.

Ecclesiæ pastores præcipue ad docendi munus uocati.

Laicorum est suas familias recte instituere.

DOCEMVR etiam hoc præcepto, ut sacrosancto dei nomine semper utamur, ad id quod bonum est promouendum, atq; ad ueritatem pro uiribus asserendã, non autem in uitium, mendacium, fraudem, quãcunq; demum perfidiam seu falsitatem. Itaq; peccant uel in primis in hoc præceptũ qui in uanum iurant, uana autem iuramenta ea dicimus, quæcunq; temere et sine iusta causa ac ratione fiunt. Et quamuis interim id uerum sit quod iurant; in uanum tamen dei nomen usurpant quoties abest iusta iurandi materia.

Iuramenta uana.

GRAVISSIME autem omnium hoc præceptum contemerant qui in iuramentis quibusdam horrendis gloriantur,

tur, et perpetua iurandi consuetudine, etiam data opera, utuntur: aut qui iureiurando rem falsam confirmant, aut scientes peierant. Huiusmodi enim iuramenti non periurij tantum crimen est, sed non paruum etiam blasphemiæ genus, nec toleranda sane in deum ipsum contumelia, cum deum scilicet (qui ueritas ipsa est et mendacium maxime auersatur) ad falsam rem asserendam testem producunt blasphemantes. *Iurandi consuetudo, grande peccatum.*

PRAETEREA illi assumunt nomen dei in uanum, qui rem quamcunq; iurant seu ueram seu falsam, cum tamen secum dubitent atq; incerti sint uera ne an falsa sit: nec de re de qua iurare cogitant prius secum deliberant. Istis accedunt etiam qui iurant reclamante conscientia, etiam si non omnino falsum sit quod iurent. quia tamen aliter q̃ sibi persuasum in animo habent, iurare audent, suam polluunt conscientiã.

ILLI præterea iurant in uanum, qui ea se facturos iurando iactitant, quę tamen facturi non sunt, aut se id non facturos iurant, quod tamen facere prius decreuerant: aut qui rem quamcunq; illicitam ac malam se facturos iurant, aut contra non facturos, quod faciendum tamen erat. Qui hisce et talibus iuramentis assuescũt, dupliciter sane peccant, et primum quidem hoc nomine quòd iurent omnino, deinde uero et eo multo magis, si quod impie iurant magis impie reipsa præstiterint.

PRAETEREA soluunt hoc præceptum, qui nouis iuramentis et contrarijs, ijs quæ prius licite emiserunt, se obstringunt, quandiu prius iuramentum in suo robore manet. Nam si contra dei legem, aut debitam principibus obedientiam, prius iuramentum fuerit, irritum illud esse constat et non seruandum.

HVIVS præcepti etiam transgressores sunt, qui donis aut policitationibus, quiq; ui, aut metu, homines ad periuria adigunt

iguntuel inducunt.

ILLI item dei nomen in uanum usurpant, qui docendo, prędicando, aut per uitæ hypocrisim, quo sibi apud homines laudem pariant, uel quocunq; alio prauo consilio, dei nomine abutuntur.

PRAETEREA Pseudochristiani omnes qui non ad Christi præceptum uitam suam instituunt: sed in ore tantum & non in pectore Christum habent, nec eum factis exprimere satagunt, dei nomen in uanum assumunt.

QVIN illi quoq; delinquunt contra hoc præceptū qui in rebus aduersis deo obmurmurant, ac non potius ad dei nomen inuocandum se conuertunt, & gratias agunt in omnibus tum asperis rebus, tum ex sententia fluentibus. Nam aduersitates propterea deus subinde immitit, ut nos ad nominis sui inuocationem pertrahat et compellat.

Aduersa cur deus immittere soleat.

PORRO cum omnia dona, quæcunq; expeti uel possunt uel debent, ut sunt sanitas corporis uel animę, remissio peccatorum, gratia & eiusmodi, à solo deo concedantur: quicunq; ob hæc dona impetranda diuos, qui iam in cœlo degunt, adeunt atq; inuocant, quasi ipsi sint horum donorum largitores: ij profecto iniuria simul & contumelia nomen dei afficiunt, et dei gloriam creaturis ascribunt. Id quod deus per prophetā prohibet, dicens. Gloriam meā alteri nō dabo.

Esa. 42.

CAETERVM precari sanctos ut nobiscum apud deum ac pro nobis intercedant, in his quæ à deo petimus, quæq; à deo solo nobis conferri expectamus, modo non eos ut ipsorum donorum et gratiarum datores sed intercessores tantum ueneremur: uetustissimo simul et perpetuo catholicæ ecclesiæ usu receptum, & approbatum est. Quòd si aliter eos quàm ut dei amicos, & participes nunc gloriæ ipsius factos, & tanquàm exempla nobis uirtutum proposita, honoramus: tum sane in sanctorum cultu fœde erramus, atq;

Sanctorum intercessio.

in

in huius præcepti transgreſsionem incurrimus.

POSTREMO conſyderandum eſt, quòd cum templa, ſacella, altaria, non niſi deo conſtruantur, ut Auguſtinus inquit (nam cui templum aut aram erigimus eidem ſacrificamus, Sacrificium autem ſoli deo offerendum eſt) propterea cum in uernaculo ſermone templum aliquod ſiue altare huius aut illius diui nomine appellamus: nõ diuo tamen, ſed ſoli deo locum illum dicatũ eſſe ſignificamus, nec aliud quicquàm intelligimus eiuſmodi locutione, quàm ibi ſancti alicuius duntaxat memoriam celebrari. Cæterum quòd hæc uulgo diuis inſcribi ſolent, non aliud in cauſa eſt, quàm ut uarijs nominibus uaria templa diſtinguantur. Non eſt ergo cur quiſpiam calumnietur nos diuis tanq; dijs templa ædificare, nã illud huic (quod iam tractamus) præcepto plane aduerſaretur: ſed uni uero deo ſuum honorem ubiq; referentes, diuorum interim memoriam, ut ſacroſanctam, ita nobis quoq; nec ingratam nec inutilem eſſe agnoſcimus.

Contra Fauſtũ Li. 20. c. 21

Sacrificium ſoli deo debetur.

Sanctorũ memoriæ.

QVARTVM PRAECEPTVM.

Memento ut diem ſabbati ſanctifices.

SABBATVM HEBRAEA VOX EST, et requiem ſignificat. Eſt igitur dies ſabbati nihil aliud, quàm quietis dies. Sed hic interim notare oportet, eſſe ſcilicet inſigne diſcrimen inter hoc et reliqua nouẽ mandata. Nam cætera (authore Auguſtino) moralia tantum ſunt, nec ad iudæos ſolum, cæterasq; omnes orbis nationes ſub ueteri teſtamento pertinebant: uerum etiam noui teſtamenti tempore chriſtianos omnes cõſtringunt. At hoc de ſabbato præceptum, quatenus diei ſeptimæ quietem

Sabbatũ quid.

Huius præcepti à cæteris diſcrimen.

quietem exigit, tantum ceremoniale est, et ad solos Iudęos, idq; in ueteri tantum testamento ante Christi in carne aduentum, pertinebat. Quatenus uero spiritualem cessationem et quietẽ requirit, (cuius figura est quies illa corporis) nempe quietem ab operibus carnis & peccati, hac quidem ex parte morale hoc præceptum et perpetuum est, & christianos omnes obligatos tenet, idq; non sabbatis tantum aut septimis quibusq; diebus, sed omnibus etiam horis ac momentis.

SEMPER enim nobis à peccato & illicita carnis uoluptate ac libidine cessandũ est, ut etiam à superbia, inobedientia, ira, odio, auaritia, cæterisq; perniciosis nostræ carnis affectionibus, nosq; totos deo committere oportet, ut ille, quæ ipsi grata sint, in nobis operetur.

Sabbatũ christianorum.

ATQVE hoc uerum est christianorum sabbatum, quando nostris desyderijs non obsequimur, sed dei spiritu agitamur ac regimur.

HOC etiam in precatione dominica petimus, cum oramus ut regnum dei adueniat, eiusq; ut uoluntas ita in terra fiat quemadmodum in cœlo perficitur. Rogamus enim ut regnet in nobis deus, nosq; uoluntati suæ morigeros reddat, à nostris nos cupiditatibus retrahat, atq; à peccatis cessare faciat. Et in hunc sane finem ieiunia, uigilias, cæterasq; eiusmodi disciplinas & castigationes instituit deus, ut domito per hæc & mortificato ueteri nostro homine, subactisq; (quantũ fieri poterit) carnis nostræ desyderijs, ad spirituale sabbatũ (quod hoc pręcepto adumbratur) pertingamus.

Castigationes carnis in quẽ finem utiles.

PORRO autem præter istam spiritualem quietem quæ præcipue exigitur, iubemur etiam hoc pręcepto certis temporibus laborem corporis intermittere, ut deo tantũ et diuinis rebus intentius uacemus: ut ad diuinum cultum qui in ecclesia celebratur accedamus, ut sacras conciones auscultemus

temus, peccata nostra confiteamur, ueniam precemur, deum laudemus, gratiasq; illi agamus, ut communes et publicas orationes cum tempus & officium nostrũ ita postulat, cum fratribus habeamus, ut ægrotos uisitemus, ut familiam denig; suã singuli in officio pietatis et dei timore religiose instituant &c. *Officia christiani diebus festis.*

AD QVAE omnia quamuis hoc precepto obligamur: non tamen sabbatum, id est, septimus hebdomadæ dies, ad hæc prestanda christianis prescribitur: sed sabbati loco octauum diem in dominicæ resurrectionis memoriam celebramus, quem & ideo dominicum appellamus. *Dies dominicus.*

QVIN alios etiã festos habemus dies, ab ecclesia diuersis temporibus institutos, quos & dies sacros uocamus. Non quòd tempus unum quàm aliud magis sacrum ex se, aut deo acceptum sit: sed quoniam ita ecclesia decreuit, ut diebus eiusmodi, sacris potissimum et spiritualibus occupationibus dediti simus, à quibus nos sæculi negotia non parum alijs diebus impediunt. *Dies sacri cur dicantur.*

CAETERVM ut uulgus clarius intelligat quænam illa sint spiritus opera, quibus debent præcipue homines festis diebus intenti esse, paucis hanc rem subijciemus. Primum (ut hæc paucula uelut exempli causa ponantur) à se rationem hebdomadæ transactæ deposcant singuli, num scilicet tempus illud ad dei gloriam atq; honorem, an potius ad eius contumeliam & offensionem collocarint. Reputent secum diligenter atq; in memoriam reuocent cogitationes, dicta, ac facta sua, quibus per præteritam septimanam haud bene usi sint, quæ damna aut scandala proximis intulerint, quibus et cuiusmodi occupationibus dediti fuerint. Vbi autem ad hunc modum animo uitæ suæ statum retractarint, & attentius suam uanitatem & obliuiosam in omnibus suis actionibus in deum ingratitudinem consyderauerint: tunc *Quid meditãdum uulgo diebus festis.*

ſupplici confeſsione ueniam à deo petant, ſecum firma ac fideli deliberatione ſtatuentes, per dei gratiam reſipiſcere, & uitam in melius commutare, remittentes ex animo omnibus hominibus offenſas, atq; omnem ex animo malitiam abijcientes, tum ad orandũ deum ſe totos conuertant, memores ſemper illius Chriſti ſententiæ: Cum ſteteritis ad orandum, remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem. Mat. 11.

QVOD SI quando orationis tędium obrepſerit, poterunt lectione ſacra qui legere norunt, animum paſcere. Ita tamen legant, & libros ea modeſtia tractent, ut non ſint alijs in templo moleſti, aut ſi legere minus iuuet, ſanctis pijsq; meditationibus ſe præbeant intentos. Qui etiam legere norunt recte tempus in die feſto collocarint, ſi ſuis domeſticis priuatim ſacram doctrinam impertiant, ex lectione alicuius probati libri. Eiuſmodi enim lectio concionis ſæpe uicem ſupplet. Quòd ſi ad hanc formam dies feſtos obſeruare, et in templo et domi chriſtiani aſſueſcerent: multa certe uitia et peccata ea ratione effugere, diabolum antiquum hoſtem confundere ac pudefacere, ſeipſos alioſq; plurimum ædificare, & magnam deniq; apud deum gratiam & præmium obtinere poſſent.

IAM uero hic monendi homines ſunt, ne anxia nimis ſuperſtitione à corporali labore die feſto abſterreantur. Non enim ex his, quæ hactenus de ſabbato ſanctificãdo diximus, ſentiendum eſt, non licere chriſtianis, ſi id aut principis aut reip. negotium urgens poſtulauerit, iuſſu magiſtratus, ſuperioriſue poteſtatis diebus feſtis labori operam dare. Imo uero ſi priuata tantũ neceſsitas cogit, ut ſegetum oportune percipiendarum aut iumenti ſeruandi gratia laborandum nobis ſit: nõ hoc in ſabbati uiolationem imputabitur. Chriſtus enim hunc ſcrupulum è conſcientijs hominum exemptum eſſe uoluit cum diceret. Sabbatum propter hominem Mat. 12.

eſſe

esse constitutum. Quocirca in eiusmodi casibus die festo laborare haudquaq̃ est timendũ. Imo grauius peccatum foret si à labore abstinentes nostra culpa illud perire aut corrumpi sineremus, quod ut proximis ac nobis usui esse posset, à deo datum est.

QVI uero ob eas, quas diximus, causas diebus festis operantur ac labori manuum incumbunt, quàmuis id sine culpa faciunt, eam tamen diei festi rationem habere debent, ut aliquod saltem temporis spacium diuino cultui & sacris audiendis impertiant, nisi negotia (quod interdum fit) uehementer ardua et urgentia illud prohibuerint.

PORRO quicunq; festis diebus, cũ necessarijs occupationibus uacui sunt, rei diuinæ interesse recusant, aut sacram concionem audire negligunt, qui dei beneficia nolunt recordari, et gratias agere, qui precibus uacare, aut huius generis opera christianæ pietati conuenientia facere in animum non inducunt, sed desidiæ potius se totos mancipantes, compotationibus, ebrietatibus, ac illicitis quibusdam ludorum generibus se oblectantes diem transigunt: hi omnes huius præcepti se reatu obstringunt. Nam ita diem festũ cousumere iudaicũ potius quàm christianũ est, & dei iram uehementer prouocat, tantum abest ut eiusmodi sabbatum deo placeat. Obserua (inquit Augustinus) diem sabbati non carnaliter non iudaicis delicijs, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim utiq; tota die foderent, quam tota die saltarent. Sed tu cogitans requiem in deo tuo, et propter ipsam requiẽ omnia faciens, abstine ab opere seruili. Omnis enim qui facit peccatum seruus est peccati. *Augusti. in psal. 32.* *Ioan. 8.*

PRAETEREA sabbatum profanant omnes qui uerbũ dei audientes, non sunt attenti ut illud intelligere queant, uel si intelligant obliuioni mox tradunt, nec factis quid didicerint declarare conantur.

ITEM illi omnes huius pręcepti reatu implicantur, qui ōrationis aut concionis tempore, aut cum res diuina peragitur, aliȝ negotiȝ animos intentos habent: et aut fabulando, inambulando, uel alio quouis modo cæteris qui preces ad deum fundere, aut rebus ſacris quæ in eccleſia geruntur attendere uellent, moleſti ſunt. Præſertim uero illi qui ſacrificij tempore Chriſti mortē pio affectu non recordantur, ſed alias res inutiles agunt, nec laudant deum ob redemptionem in Chriſto Ieſu nobis partam. Id quod tum maxime præſtandum erat, cum in mortis ſuæ memoriā ea myſteria celebrari inſtituit.

Ceremoniæ eccleſiaſticæ.

REI ETIAM huius præcepti ſunt, qui probatas ceremonias in eccleſia uſitatas obſeruare dedignantur, et contemnunt res bonas ad eccleſiæ diſciplinam ac ordinem inſtitutas. Quocirca quod ad ceremonias pertinet, quæ à maioribus traditæ fuerūt, atq; à principibus et regibus, qui poſt deum pręcipua ſunt eccleſiarum in terris capita, approbatæ ſunt, etſi non debet populus hac uana opinione duci, ut in huiuſmodi ceremonijs remiſsionem peccatorum conſiſtere credat: tamen multum conducere et utiles res eſſe putandæ ſunt, tum ad excitandos in deum affectus, et ad maiorem reuerentiam ſacramentorum adminiſtrationi conciliandam (ut ſacri fontis conſecratio, calicis, altaris et huius generis exorciſmi et benedictiones quæ ab eccleſiæ miniſtris fiunt) tum ad reducendam nobis in memoriam res ſpirituales, quę per eiuſmodi ceremonias nobis ſignificantur. Vt aquæ conſecratæ aſperſio, baptiſmi memoriam renouat et ſanguinis Chriſti pro nobis aſperſi. Panis benedictus ſuggerit nobis memoriam euchariſtiæ et charitatis cōmunionem utcunq; portendit, & de myſterio admonet unius panis et corporis cum Chriſto. Luminarium geſtatio in feſto purificationis repræſentat lumen Chriſtum, de quo Symeon cecinit,

Ceremoniarū uſus.

ut

ut tum in ecclesia legitur. Cineres uero ineunte quadragesima, humanę naturæ uanitatem et corruptionẽ oculis obijciunt, et nos cinerem esse ac puluerem demonstrant, et pœnitentiæ symbolum exhibent. Frondes in die palmarum historiam Christi Hierosolymam regio more ingressi proponunt, admonentq; ut cordibus illum prone excipiamus. Veneratio crucis in die paraſceues, et oblatio atq; exoſculatio quid aliud ſignificant, quã humilem et ſubmiſſam gratiarum actionem pro noſtra in cruce redemptione? Poſtremo ſepulchri ſub paſchate erectio et aliæ probatæ ceremoniæ ac ritus, non niſi rerum ſpiritualium ſigna exiſtunt, et proinde non debent abijci aut contemni, ſed obſeruari atq; in eccleſia manere, tanquàm res bonę et utiles ob prędictos fines.

QVINTVM PRAECEPTVM.

Honora patrem et matrem.

NON PARENTES TANTVM à quibus geniti et educati ſumus, honorandos proponit: ſed principes etiam ac reges, cęterosqúe omnes moderatores, et paſtores, atq; uno nomine uniuerſos illos, qui nobis quacunq; ratione præſident, quiq; noſtram curam ſibi à deo creditam habent, in ſimili conditione habendos præcipit. *Parentes qui dicantur.*

HONORARE autem in hoc præcepto non tantum ſignificat reuerentiam, et modeſtiam in uerbis et geſtu externo, qualem pueri et minores ætate parentibus ac maioribus exhibere debent: ſed etiam ut alacrem et promptã obedientiam iuſtis illorum mandatis, utq; illorum ſermonibus attentionem prębeamus, eoſq;, cum nos ſeuerius monere, *Honorare quid.*

hortari aut castigare uidentur, toleremus ac sustineamus: utq; eos syncero amore prosequamur ac ueneremur, timentes eos offendere: cupidi autem et solliciti ac parati semper, illis gratum facere, subuenire, assistere, consilio etiam re ac opibus et facultatibus eos iuuare. Hæc sunt officia tum liberorum erga parentes, tum subditorum erga rectores et principes, qui illis patrum loco habendi sunt.

ET HOC filiorum erga parentes officium, compluribus
Prouerb.1. scripturæ locis describitur. Audi, inquit Salomon, disciplinã patris tui et ne dimittas legẽ matris tuæ. Et in Deuteronomio.
Deut.27. Maledictus qui non honorat patrem et matrem. Item
Leuit.19. in Leuitico. Vnusquisq; patrem suum et matrem suam timeat. Et filij inobedientis pœna ostenditur in Deuteronomio.
Deut.21. Si genuerit homo filium contumacem et proteruum, qui non audierit patris et matris imperium, et coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, et ducent ad seniores ciuitatis illius, et ad portam iudicij, dicentq; ad eos, filius noster iste proteruus et contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus uacat et luxuriæ atq; conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis et morietur, ut auferatis malum de medio uestri, et uniuersus Israel
Exod.21. audiens pertimescat. Et in Exodo. Qui percusserit patrẽ uel matrem, morte moriatur. Et qui maledixerit patri uel ma-
Prouerb.28. tri morte moriatur Et in prouerbijs. Qui subtrahit aliquid à patre uel matre, et dicit non esse peccatũ: particeps homicidæ est. Quamuis autem iam mortis pœna, quam inobedientes filij secundum Moysaicam legem sustinebant, abrogata sit: et tam huic inobedientiæ crimini quàm cæteris id genus facinoribus supplicium quodcunq; (quod reip. utilissimũ iudicauerint) constituere principes et magistratus possunt: manifeste tamen apparet ex supplicij grauitate in ueteri testamento, quantum hoc peccatum deo exosum sit. Et

quem-

quemadmodum minatur deus grauem ultionem et pœnam iis, qui parentes non honorant: ita liberis qui debitam pietatem erga parentes ostendunt, ingentia prȩmia pollicetur. Ecclesiastici tertio scribitur. Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs, et in die orationis suæ exaudietur. Qui honorant patrem suum uita uiuent longiore &c. Et sicut qui thesauros congregat et accumulat: ita qui matrem honore afficit. Eccle.3.

IAM VERO ut hoc præceptum filiorum erga parentes obedientiam et officium requirit (sicut dictum est) ita etiam à parentibus rectam liberorũ institutionem tacite exigit, hoc est, ut eos non nutriant tantum et uictum illis suppeditent in tenera ætate: sed etiam ut curent eos recte erudiendos, et honesta aliqua disciplina, aut arte imbuendos, tum ne otio et inertia corrumpãtur, tum etiam ut sciant uictum sibi honesta aliqua ratione parare. Ante omnia autem curandum parentibus est, ut fidem ac timorem dei liberos doceant, charitatis præceptum instillent, à iuramentis, à contumelijosis sermonibus aut obscœnis deterreant, à luxu, ab intẽperantia, et cæteris mundi, et carnis uitijs cohibeãt. In summa ut declinandi malum, et bonum faciendi, præcepta illis insinuent. Atq; hæc quidem erga liberos officia prȩstare parentes debent, non sȩuitia aut morositate uel nimia asperitate, unde ad iracundiam (sicut Paulus loquitur) filios prouocare possent: sed lenitate, moderata castigatione, cũ quid deliquerint, ut econtrario cum boni aliquid egerint, eorum animi laude demulcendi et erigendi sunt. De liberis instituendis.

HAEC parentũ officia scriptura uarijs locis tradit. Paulus ad Ephesios sexto. Patres nolite ad iracundiam prouocare filios uestros, sed educate illos in disciplina & correptione domini. Et in Deuteronomio. Mandatur parẽtibus, ut doceant filios legem & præcepta dei. Et apud Salomonem Ephes.6. Deut.6.

Prouerb.29. nem. Virga atq; correctio tribuit ſapientiam, puer autem qui dimittitur uoluntati ſuæ, confundit matrem ſuam. Et
Prouerb.13. alio loco. Qui parcit uirgæ odit filium ſuum, qui autem dili-
Ibidem.23. git illum, inſtanter erudit. Et alibi. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam. Si enim percuſſeris eum uirga, non morietur: tu uirga percuties eum, et animã de inferno liberabis. Rurſum
Eccl.22. uero ſcriptum eſt. Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato.
1.Reg.4 Legimus in hiſtoria Regum, grauem iram dei aduerſus Heli ſacerdotem, quòd in filios, quorum improbę uitæ conſcius erat, nõ animaduertit. Quod ſenis alioqui laudatiſsimi peccatum et negligentiã, adeo ſeuciter puniuit deus, ut (adempto à poſteris ſacerdotio) & filij eius ambo uno die ſint interfecti, & pater ipſe effracta ceruice expirarit. Hoc exemplum parentum animis imprimendum eſt, ut de filijs recte inſtituendis ſoliciti ſint, nequando etiam una cum Heli, in inexpiabilem dei offenſionem incidant, & nõ ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam futuro, æternum dedecus et confuſionem à ſceleratis filijs percipiant. Nec ſatis ſuo ſe functos officio parentes exiſtiment, ſi filios peccantes utcunq; arguant, aut uerbis increpent, (nam illud etiam Heli præſtitit) at hoc deo neutiq̃ ſatisfecit, eo quòd non acrius eos caſtigarit atq; ad frugem reduxerit. Quod ſi quando uerbis nõ proficitur, aſperius profecto cum illis eſt agendum, & ſeueriore diſciplina ac correctione filiorum ſaluti conſulendum. Quod niſi ſedulo fecerint parentes, rationem deo haud dubiè reddituri ſunt. Et ſane grauem dei plagam merentur, qui liberos ſibi à deo donatos in dei cultu non inſtituunt, ſed abſq; omni cura aut reſpectu eos permittunt diaboli mancipia fieri. Quare parentibus conſyderandum & animo repetendum eſt, quàm grauiter deum offendant, & quot ipſi malorum authores ſint, qui in laſciuia & ocio nutriunt liberos, nec artibus ac diſciplinis inſtruendos tradunt, ut uictum

Liberi ſeuerius interdum caſtigandi.

quærere

quærere et reip. postea prodesse queant: uel qui nõ eos ita à teneris annis instituunt, ut deum timeant ac mandata eius obseruent: uel qui ea non uerentur in oculis et conspectu liberorum committere, unde tenera ætas, quæ instar tenelli uiminis in quamuis partem flexilis est, hausto nequitiæ exemplo deprauari & corrumpi queat.

CONTINET etiam hoc præceptum honorem & obedientiam subditorum erga principes, ac rursus principum officium erga subditos. Scriptura enim principes & rectores populorum patres uocat, quòd paternum amorem & studium in populum præstare debeant. Et horum officium quemadmodum ex scripturis apparet, est: tueri & conseruare synceram religionis doctrinam, prospicere ut populus recte gubernetur, & iustis æquisq; legibus in officio contineatur, curare ea quæ sunt ad promouendam augendamq; reimp. laborare ut populus in pace uiuat, necnon uim, tyrannidem, direptionem, incursionem hostiũ & omnem iniuriam prohibere, et subditorum suorum ope auxilioq; propellere, dare item operam ut leges iuraq; recte administrentur, subditorũ querelas & grauamina benigne audire, omnibus etiam sontibus & facinorosis clementiam & paternã lenitatem ac misericordiam exhibere, in puniendo uero non hominis exitium se quærere ostendentes, sed reip. tantum causa ad seueritatem se adigi monstrantes. Quamobrem et subditi debent non solum principibus suis obedientiam & honorem ac fidele obsequium, tanquàm ueris suis & germanis dominis: sed amore etiam tanqnàm parentes prosequi tenentur, & chariorem habere principis personã, quàm uel suam uel ullius alterius, quandoquidem capitis salus maiore solicitudine quàm membri alterius curanda cõseruandaq; est.

Principes populorũ patres.

PRAETEREA hoc præcepto subditi dominis suis &

Subditorum erga principes officium.

principibus tenentur obstricti, ne scilicet illis obedientiã, obseruantiã, amorem et fidem ulla de causa subtrahant, nec cõiurationem aduersus illos ullam uel ipsi faciant, uel fieri, quantum in ipsis erit, unquàm permittant.

ATQVE hoc etiam dei mandatum à subditis requirit, ut omnibus principum suorum edictis, legibus, constitutionibus, decretis, indictionibus, denunciationibus ac iussis obtemperent, modo ea à præceptis dei haudquaquàm dissentiant.

ITEM ut omnibus magistratibus, quibus authoritas aliqua à principe attributa est, eatenus pareant: quatenus id uoluntas principis permiserit. Auxilium item et opem suam principi accommodent aduersus omnes mortales, quoties id princeps, uel salutis suæ & status, uel reipub. causa, postulabit.

POSTREMO ut fidele etiam consiliũ (quoties ad id asciti fuerint) principibus suis dare studeant, & in omnibus concilijs ea suggerant, quæ secundum ipsorum conscientiam, iudicium, ac rerum peritiam, ad dei opt. max. gloriam, ad principis sui honorem ac salutem, et deniq; ad reip. cõmodum, quàm maxime expedire arbitrabuntur. Quod si subditus forte aliquis, imminere suo principi damnum aliquod uel periculum resciuerit, quo persona illius uel status lædi ac uiolari possit: id continuo uel principi ipsi, uel alicui consiliariorum enunciandum est. Hoc enim ipsa naturæ lex petit, ut membra omnia ad capitis sui salutem, opem suam omnem & studium conferant: & prudenter sane hoc à magnis uiris magno cum reipub. fructu obseruatum semper fuit. Ex coniuratione enim ac proditione maximæ semper reip. pestes & mala oriuntur. Contra autem, obedientia & fide erga princpes, resp. omnes quam maxime & conseruantur & florent.

Fidelitate erga principes Respublicæ conseruantur.

IAM

IAM VERO hunc (quem deliniauimus) honorem obedientiamq; erga principes, à subditis requiri, cũ alia scripturæ loca plurima, tum clarissime epistolę summorũ apostolorum Petri et Pauli demonstrant. Ita enim in epistola ad Romanos capite decimo tertio scriptum est. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à deo, quæ autem sunt, à deo ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autẽ resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et mox subiungit. Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, uindex in iram ei qui malum agit. Ideoq; necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis. Ministri enim dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal; cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. &c. Rom. 13. I. Pet. 2.

PETRVS uero in epistola sua in hunc modum scribit, Subditi estote omni humanæ creaturæ propter deum, siue regi, quasi prȩcellenti, siue ducibus tanquàm ab eo missis ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorum, quia sic est uoluntas dei. &c.

EXTANT autem uaria exempla in scripturis uindictæ et iræ dei exertæ in eos, qui contra principes tumultuari aut seditiones concitare ausi sunt. Sed præcipuum est exemplũ Core et Dathan, qui insurrexerunt in Moysen et Aaron populi rectores, quam seditionem deus non tantum hiatu terræ seditiosos deglutientis, ultus est: sed et ignis egressus à domino interfecit ducentos quinquaginta duces, qui coniurationi se addixerant. Seditiosos deus punit. Num. 16.

PERTINET insuper hoc præceptum, ad honorem et obseruantiam præstandã episcopis, presbyteris et ministris ecclesiæ. Nam hi sunt spirituales patres, quorum opera per Episcopi et presbyteri patres.

euangelium populus deo generatur. Et hi curam animarum ſuſceperunt, atq; à deo conſtituti ſunt, ut diuina ſacramenta exhibeant, populumq; uerbi doctrina paſcant, ac denique ad æternum in cœlis patrem uiam prœmonſtrent. Quibus tum obedientiam, tum etiam uictum deberi Chriſtus in euangelio oſtendit. Nam de obedientia ſic loquitur. Qui uos recipit, me recipit. Et alio loco. Qui uos audit, me audit, et qui uos ſpernit, me ſpernit. Et Paulus ad Hebræos. Obedite prœpoſitis ueſtris et ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus ueſtris reddituri, ut cũ gaudio hoc faciant et non gementes. Hoc enim nõ expedit uobis. Hortatur hic apoſtolus omnes chriſtianos, ut tales ſe præſtent erga epiſcopos, preſbyteros et paſtores ſuos, ut ad laborem et onus ſuſtinendum illis animos addant. Nam cum populus eſt inſolens et refractarius, tum certe paſtoribus (etſi ſuo paſtorali officio nihilominus incumbere debeant) magna tamen ex populi inobedientia, tum anxietas, tũ moleſtia obiecta eſt. Et de uictu quidẽ paſtoribus ſuppeditando (id quod etiam in HONORE comprehenditur, ut ſupra eſt explicatum) Chriſtus ait. Dignus eſt operarius mercede ſua. Et Paulus ad Corinthios. Quis militat ſuis ſtipendijs unq̃? Quis plantat uineam, et de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, et de lacte gregis non manducat? Et mox infert. Ita et dominus ordinauit ijs qui euangeliũ annunciãt, de euangelio uiuere. Et propterea ad Timotheum ſcribit. Qui bene præſunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in uerbo et doctrina. Quo loco, per duplicem honorem intelligit non tantum reuerentiam, quæ ſpiritualibus ijs parentibus debetur, ut dictum eſt: ſed etiam ſufficientiam rerum omnium neceſſariarum, tum ad uictum ac ſuſtentationem, tum ad quietam et commodam ſui operis et muneris executionem.

Matt. 10.
Luc. 7.
Heb. 13.
Luc. 10.
1. Cor. 9.
1. Tim. 5.
Duplex honor quid.

Po-

POSTREMO continet et hoc præceptum famulorum obsequium erga heros, utpote quos diligere, reuereri, obseruare, tolerare, ac ferre debent, omniáq; modestię atq; humilitatis argumenta illis exhibere, non murmurare, non obloqui. Iussa omnia prompte, alacriter et mature exequi, fideles semper esse et ad omnia parati: quę grata fore dominis intellexerint. Eaq; semper quęrere et procurare, quæ heris suis commoda et honesta sunt, idq; non tantum in illorum oculis et præsentia: sed etiam cum procul absint. Ita enim describit famulorum officium apostolus. Serui obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis uestri sicut Christo, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes: sed ut serui Christi, facientes uoluntatem dei ex animo cum bona uoluntate, seruientes sicut domino, et non hominibus, scientes quoniã unusquisq; quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à domino. Et iterum ad Titum. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. Et Petrus. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Contra, dominorum erga famulos officia hæc sunt. Res illis necessarias suppeditare, artes quas profitentur, eos docere, curare ut cognitione mandatorum dei eruditantur, et ea obseruent. Non nimia erga illos seueritate uti, sed errantes et delinquentes cum prudentia et iudicio castigare, laudare autem et prẽmijs animare cũ recte fecerint. Sic Paulus ad Colossenses. Domini, quod iustum est et æquum seruis prẽstate, scientes quòd et uos dominum habetis in cœlo. Et alio loco. Vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quod et illorum et uester dominus est in cœlis, et personarũ acceptio nõ est apud deum. Et ecclesiasticus. Cibaria et uirga et onus asino, panis et di-

Famulorum officia.

Ephes. 6.

Tit. 2.

1. Pet. 2.

Dominorũ erga famulos officia.

Colos. 4.

Ephes. 6.

Eccle. 33.

 scipli-

sciplina et opus seruo. Et infra, Mitte illum in operationem ne uacet, multam enim malitiam docuit ociositas, in opera constitue eum, sic enim condecet illum: quòd si non obedierit, curua illum compedibus. &c.

Adolescentes reuerentiam maiores natu.

CONTINETVR etiam hoc præcepto, ut adolescentes ac minores ætate debitum honorem et reuerentiam grandioribus exhibeant, atq; item suis præceptoribus, tutoribus, et omnibus qui eos curant recte instituendos ac educandos. Cum enim hoc uere paternum beneficium in illos conferãt, merito sibi propterea paternũ amorem uendicare possunt.

SEXTVM PRAECEPTVM.

Non occides.

Occidere quid.

HOC PRAECEPTO VETITVM est, non tantum corporalem cædem perpetrare, aut uim proximo afferre, eũ pulsare, ferire, uulnus infligere &c. Sed omnes etiam maleuolentiæ, odij, inuidiæ et iræ affectus prohibentur. Atque omnia etiam linguæ uitia, ne uidelicet maledicentia, contumelia, scommate, detractione, iurgio, fratrem offendamus aut irritemus. Siquidem his omnibus peccatis præceptum hoc uiolatur, ut quæ occisioni & corporali cædi materiam præbere et quasi uiam sternere soleant.

PORRO quæcunq; his uitijs contraria sunt, hoc præcepto nobis mandantur, nempe ut ex animo proximum diligamus, lingua ad benedicendum utamur, factis etiam beneuolentiam nostram et charitatem in proximos declaremus. Atq; ita affectu, sermone, & opere omnem illis mansuetudinem, lenitatem, et patientiam exhibeamus, etiam si aduersarij

uersarij et hostes sunt.

ATQVE hunc esse huius præcepti sensum ex Christi interpretatione in euangelio liquet, ubi etiam irasci uetat, atq; cõtumeliam ullam aut probrum proferre, quin potius iubet ut eos qui nos odio habent diligamus, benedicamus maledicentibus, & malefacientibus benefici simus. Ioannes quoq; in epistola huius præcepti dilucidam ponit explanationem dicens. Qui odit fratrem suum, homicida est. *Matth. 5. 1. Ioan. 3.*

INTERIM tamen non est ignorandum, quòd legitima sontium castigatio, per hoc præceptum magistratui & potestati neutiquam interdicta sit. Vult enim deus ut facinorosi supplicio afficiantur, utq; principes, iudices, patres ac domini in eos quos sub imperio suo habent, uel uerbis uel acerbioribus pœnis animaduertant, quatenus regionis cuiusq; & patriæ iura permittunt. Quod si non fecerint, sed subditorum uitia, sua lenitate alant, grauem deo rationem reddituri sunt. *Ius gladij non interdicitur.*

HOC autem curandum est, omnibus præsertim his qui remp. administrant, ne in puniendo priuatis affectibus indulgeant, nec odio uel partium studio uel propria utilitate aut metu personarum, à iustitia & æquitate abducantur, id solum spectantes ut flagitiosi corrigantur atq; in uiam redeant, et ne ipsi interim ullius exitio, cæde, aut pœna delectentur. Frater enim est qui iudicio sistitur, et charitatis officio nobis complectendus, etiam si pessimę uitæ fuerit. Quamobrem ut pater non exuit amorem in filium, etiam dum eum uerberat: ita iudex sententiam in reum ferens, ac seueritatem quamuis durissimam ostentans, condemnatum tamen amore et misericordia prosequi debet: ut qui non sui priuati affectus, sed legis et iustitiæ minister ac uindex est. *Affectus magistratuum in puniendo quales esse debeat.*

PORRO quanquàm priuatis fas sit eos quorum habent curam

curam et tutelam corrigere ac castigare: à sęuitia tamen omni; crudelitate temperandum est, nec uel morte eos mulctare licet, aut membrum mutilare, uel in uincula conijcere aut ullam uim corporalem afferre: nisi quatenus supremus magistratus à quo omnis eiusmodi castigationis & uindictæ potestas deriuatur, constituerit, & legibus consentaneũ sit. Soli enim principes & magistratus ab illis cõstituti hanc corporalem coertionem & gladij potestatem exercere licite possiunt. At ne illis quidem hac potestate pro suo arbitrio licet uti, nisi quatenus leges & iura præscribunt.

Ius gladij ad quos spectet.

NON est autem licitum subditis ulla de causa unquàm aduersus principes suos gladium educere, at ne aduersus alium quidem ullum (præterquàm in causa iustæ defensionis) nisi principis id mandato fiat. Debent autem ob principis, patriæ, & reip. propugnationem (quandocunq; princeps iusserit) arma sumere. Quod si principes, qui suprema regnorum capita sunt, contra quàm ipsorum officium postulat, fecerint: non habent tamen superiores in hoc sęculo iudices à deo constitutos, qui eos mulctare queant: sed deo rationem reddituri sunt, qui sibi soli iudicium illorum reseruauit, eorum scelera (cum ipsi oportunum uidebitur) uisitaturus.

NEFAS autem subditis est quantumcunq; mali principes fuerint ob fananda eorum uitia seditionem aut rebellionem excitare: sed orationibus interpellandus est deus, in cuius manu regum sunt corda, ut spiritu suo illustret eos, quo recte & ad dei gloriam, gladio sibi tradito utantur.

HOC præceptum uiolant uniuersi, qui uel ipsi contra leges quempiam interficiunt, mutilant, aut lædunt, uel consilio, ope, gratia, aut quocunq; modo eiusmodi scelus promouent aut procurant, uel consensu suo approbant.

QVIN huius etiam præcepti omnes illi transgressores apud deũ habentur, qui mortem iniustam uidentes cuiquàm

intentari,

intentari, hominem in eiusmodi periculo constitutum seruare, & ab iniuria defendere, authoritate sua aut ratione aliqua legitima non laborant; sed conniuendo & dissimulando fieri rem permittunt, quam tamen prohibere possent, si uellent.

ITEM iudices omnes rei sunt huius præcepti, qui ex causa non satis idonea et iusta, aut re non bene cognita et examinata, morti hominem temere adiudicant: aut qui etiam si mortis supplicio dignum fuerit crimen: ipsi tamen ea uindicta et supplicio delectantur, et ex hominis cruciatu potius quàm iusta legum executione uoluptatem capiunt.

ILLI quoq; qui in capitalibus causis, leuiter absq; debita examinatione partium ac testium, aut argumentorum ac probationum matura discussione, homine uel reum esse uel absoluendum pronunciant. Atq; ipsi etiam qui in eiusmodi causis, quod falsum est, deferunt ac testificantur, siue scientes et reclamante conscientia, siue dubitantes et animo hæsitantes, tales iniustas sententias ac iudicia promoueant et procurent.

ITEM illi huius mandati rei sunt, qui sibi mortem consciscunt, nulla enim potest iusta esse causa cur sibi quis manus inferat, sed qui ita faciunt simul et animam et corpus interimunt.

IN SVMMA omnes qui odium gerunt in proximum, omnes maledici, detractores, calumniatores, aut qui proximorum uitia in uulgus efferunt, cupientes potius eorum famam lædere, quàm uitia sanare, in hoc præceptum delinquunt.

SEPTIMVM PRAECEPTVM.

Non mœchaberis.

HOC PRAECEPTO OMNIS concubitus illicitus, atq; illorum membrorum quæ generationi inseruiunt, non legitimus usus prohibetur. Atq; huius præcepti non solum illi sunt transgressores, qui extra matrimonium impure scortantur, aut alienis uxoribus abutuntur: sed etiam qui in legitimo coniugio, suæ tantum libidini effrænate indulgent: in quos (ut est in Tobiæ libro) diabolus potestatem habet. Hi nanq;, inquit angelus, qui coniugium ita suscipiunt, ut deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita uacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet dæmonium potestatem super eos.

Tob. 6.

HVIVS præcepti obseruatio christianis omnibus profecto magni æstimanda est, cum deus ita se grauiter offendi adulterio & scortatione semper ostenderit: id quod satis uel hoc argumento declaratur, quod adulteris nõ leuior pœna in ueteri testamento constituta fuerit, quàm ut lapidibus obruerentur. Horribile etiam est, quòd postquàm filij Israel scortati essent cum filiabus Moab, mandauit deus Moysi, ut principes in expiationem illius delicti in patibulis suspenderentur, & præterea ut unusquisq; proximum suum neci daret, adeo ut cresceret cædes ad uiginti quatuor hominũ milia, multiq; plures cecidissent, nisi Phinees Eleazari sacerdotis filius iram domini placasset, eiusq; furorem zelo suo auertisset, quemadmodum Numerorum historia capite uicesimo quinto latius exequitur.

Num. 25.

MAGNI etiam horroris est illud exemplum filiorum

Iud. 20.

Beniã

Beniamin, quòd ita contriti ac funditus pene deleti fuerint, ob defensionem quam præstabant habitatoribus Gabaa, à quibus execrandum illud, stupratæ uxoris leuitæ facinus perpetratum est.

HVIVS etiam pręcepti uiolatio quantum prouocet iram dei, intelligitur ex Sodoma cæterisq; urbibus igne & sulfure consumptis. Genes. 9.

QVAE exempla magnum nobis terrorem incutere debent, semperq; memoria tenenda sunt, ut in dei timore maneamus. Quamuis enim differtur uindicta, nec statim se exerit dei furor ad sumendum supplicium: manet tamen peccatorum memoria apud omnium malorum uindicem deum, cuius ira quo tardior est ad ultionem, eo maiore cumulo accrescit illis, qui obstinati in flagitijs suis perseuerant. Qui enim dei bonitatem, eos ad pœnitentiam inuitantis recusant agnoscere: thesaurizant sibi (ut Paulus inquit) iram Ro. 2. in die iræ et reuelationis iusti iudicij dei, eritq; illis tum peccati stipendium mors æterna, & detrudentur impij in tenebras exteriores & lacum ardentem, ubi est ignis, sulfur, fletus, ploratus, & stridor dentium sempiternus.

IAM uero hoc præceptum de non adulterando, non solum uitia iam commemorata prohibet: sed uirtutes etiam illis uitijs contrarias à nobis exigit, uidelicet fidem mutuam in coniugio, & continentiam in cœlibatu, deniq; in omnibus pudorem & uerecundiam, nõ in factis tantum, sed uerbis etiam uultusq; & gestus indicijs, atq; etiam omnia quæ ad seruandam castitatem conducunt, ut temperantiam, ieiunium, uigilias, labores &c.

ET PROINDE contra hoc præceptum peccant, quicunq; uel simplicem fornicationem admittunt, uel alterius thorum polluunt, imo uero quisquis ullam mulierem (ut Christus testatur) impudica concupiscentia allectus aspexerit, Matth. 5.

rit, iam eam in corde suo mœchatus est. Offendunt etiam in hoc præceptum, qui personis sibi sanguine aut affinitate cohærentibus, intra uidelicet gradus illos diuina lege prohibitos misceri non uerentur.

Incestus.

ITEM illos hoc præceptum condemnat, qui aut secum ipsi, uel cum alijs innaturali uenere conspurcantur, aut qui uxoribus menstruorum tempore abutuntur.

ILLI item uiolant hoc mandatum, qui lasciuo & obscœno sermone, narratione, cantilena, aut aspectu uel gestu impudico, uel inhonesto contactu, aut uestitu nimium uenusto et ad libidinem composito, uel quouis modo alios ad peccandum instimulant.

Vestitus non ad libidinem componēdus.

ITEM quicunq; aliorum libidines, opera sua uel suasu alunt ac fouent & occasionem quamcunq; perpetrandæ turpitudinis subministrant, uel locum aut facultatem aut ullam peccandi incommodam commoditatem præbent.

DENIQVE huius præcepti habentur rei omnes, qui cū libidinis uitio laborent, non diligenter omnes huius peccati occasiones declinant, ut luxum, crapulam, commessationes, ebrietates, ocium, desidiam, somnum immoderatū, & consuetudinem hominum unde in flagitium pelliciantur.

Occasiones peccati declinandæ.

OCTAVVM PRAECEPTVM.

Non furaberis.

HIC SVB NOMINE FVRTI INTELligitur omnis alienæ rei surreptio, occupatio ac detentio, siue per uim, rapinam, peculatū, usuram, simoniam, largitionem et munerum corruptelam id fiat, siue per iniustam emptionem

nem ac uenditionem, dolosa pondera, iniustas mensuras, aut per rei uitiosæ, adulterinæ, fucatæ, pro uera et proba, uenditionem. In summa furti hic nomine omnis fraus ac dolus malus comprehenditur. *Omnis dolus malus, furtum*

ATQVE ut hæc omnia uitia hoc præcepto sunt interdicta: ita contrariæ uirtutes mandantur, ut in omni commercio iuste, integre, fideliter ac syncere cũ proximo semper agere, opes non nisi per ius et æquum comparare, et comparatas benigne egentibus impertire, esurientibus cibum dare, sitientibus potum, nudis indumentum, hospitiũ peregrinis, languẽtes et uinctos consolari ac uisitare, deniq; proximo doctrina, consilio, exhortatione aut quauis huiusmodi ratione (quantũ in nobis fuerit) cõmodare et prodesse.

HVIVS præcepti uiolatores existunt, qui per fraudem aut uim terra uel mari spoliant, diripiunt, aut auferunt alienos seruos uel pueros, cuiusmodi sunt plagiarij et fures.

ILLI etiam qui alienum agrum, hæreditatem, iumentũ, pecuniam, uestem eripiunt, intercipiunt, inuadunt atq; in suum usum iniuste transferunt.

PRAETEREA quicunq; alienas opes sibi creditas habent ad dispensandum ac distribuendum, easq; non in eum usum, quem deberent, exponunt, sed pro suis ac proprijs utuntur. Quales sunt mali magistri et custodes hospitalium domorum, perfidi hæredes, et id genus alij. Ii enim aliorum bona in optimos usus, nempe in subleuandas pauperum calamitates destinata, in suos usus pro libidine sua conuertũt. Porro qui stipendium ob quodcunq; officium uel ecclesiasticum uel sęculare exequendum accipiunt, nec tamen ut officium suum et munus expleant solicite inuigilant, huius præcepti uiolatores sunt.

ITEM qui ob laborem uel operam mercede conducti, negotium sibi impositum et susceptum nõ curant: ut ociosi

ac desides famuli, opifices ignaui ac infideles mercenarij. Similiter mali aduocati, patroni, procuratores, cognitores, consiliarij, qui cum causas tuendas susceperunt, sæpenumero ob exiguum laborem ampla et ingentia præmia reportant, quiue sua negligentia ac uitio bonas sæpe causas corrumpunt, aut (quo suo quęstui consulant) ne iusta sententia oportune ac mature feratur, impedimento sunt.

PECCANT quoq; in hoc præceptum omnes qui corpore uegeto et bene ualente atq; ad laborem apto, mendicitate tamen et inertia uictum quærunt, atq; ea quibus ueri pauperes subleuandi essent, deuorant et exhauriunt.

PECCANT etiam contra hoc præceptum, qui res furto sublatas scientes emunt, aut qui ab illis emunt, ad quos sciunt eiusmodi rerum uenditionem nihil spectare.

ITEM illi, qui rem alienam furto surreptam apud se detinent, uel repertam nolunt reddere, cum dominum sciant, uel non dãt operam ut dominũ, cui restituatur, scire possint.

ILLI etiam, qui mercede seruos aut mercenarios defraudant, aut qui rem aliquam commodato acceptam nolunt reddere, aut qui res suas æquo charius uendunt.

IN summa autem omnes auari, et uel alienarum opum appetentes, uel suarũ nimis restricti et parci custodes, quiq; libenter pro facultatibus suis pauperum miserijs non subueniunt, huius præcepti uiolatione damnantur.

Nonum

NONVM PRAECEPTVM.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

OC PRAECEPTO prohibetur omnis linguę abusus in dammum proximi, ut mentiri, detrahere, calumniari, falso accusare. &c.

DIVVS Iacobus humanã linguã cõparat frẽno, quo equi corpus pro sessoris arbitrio circũagitur: itẽ gubernaculo quo nauis inflectitur: postremo etiã ignis scintillæ, unde magnũ aliquando nascitur incendiũ. Atq; hæ sane cõparationes aptissimæ sũt. Nã omnis humani corporis moderatio prẽcipue pendet ex lingua, nec quicq; sermone potentius, siue ad perniciem multorum, siue ad utilitatem. Penetrat lingua animos audientium, & opiniones de alijs uel bonas uel noxias inserit, sedat odia, concitat ad discordias, componit ad pacem, & auditorem in omnem partem impellit. Et quemadmodum incendium & flamma, quæ latè per domos & tecta uolitat, ex una scintilla ortum habuit, ac cito poterat in initio extingui, si homines in tempore succurrissent, at post ita uires colligit, ut opprimi iam omnino non possit: Atq; ut ignis magnam humanæ uitæ commoditatem affert si rectus usus adhibeatur, sin minus, summam perniciem importat: ita ex linguæ quantumuis exigui membri recto usu, plurimæ utilitates, malo autem extremæ incommoditates, tum sibi tum alijs proueniunt. Est enim mala lingua radix & causa malorum omnium, unde & Iacobus eam, mundum iniquitatis, quasi congeriem & uniuersitatem malorum appellat. *Iac. 3.* *Linguæ uis.* *Linguæ rectus usus.*

IAM uero ut hoc prẽcepto uitia linguæ prohibentur: ita uirtutes præcipiuntur, nimirum ut lingua in rem proximi recte

recte atq; honeste utamur, ut in sermone ueraces & simplices, ut in pactis, commercijs et promissis synceri & fideles simus: ut in omni iudicio & foro aut quocunq; alio loco uerum semper testimonium proferamus. Præcipitur item de absentibus bene loqui, nec quempiam uerbo lędere, omnes autem quoad poterimus consilio iuuare, ad bonum hortari, à malo reuocare ac dissuadere, occulta proximorũ peccata non publicare, quo illis inuramus infamiæ notam, sed eos potius secreto admonere et salutẽ eorum expetere, inimicis etiam nostris benedicere, dissidentes reconciliare, calumniã perpessos testimonio nostro subleuare, et in summa, linguę nostrę officiũ in proximi commodũ impendere.

Mendaces.

PECCANT itaq; in hoc præceptũ in primis, qui mendacio aut falso fictoue sermone proximum fallunt ac lædunt, suntq; eiusmodi uiri mendaces, filij diaboli, nam ille, ut Christus in euangelio Ioannis dicit, mendax est & pater eius. Quare et Paulus hortatur, ut deponentes mendacium loquamur ueritatem unusquisq; cum proximo suo.

Ioan. 8.
Ephe. 5.

Detractores.
Eccle. 10.

GRAVITER quoq; aduersus hoc præceptum peccant omnes detractores, quos Salomon similes esse dicit serpentibus mordentibus in silentio. Ii enim quantumcunq; uideri uelint aliquando, ex bona conscientia loqui: manifestum tamen est, eos non charitate affici in proximum, sed odio atq; inuidia totos incendi. At nobis (si proximi uitijs mederi uelimus) chirurgorum ars imitanda est; qui uulnus quod sanandum susceperunt, diligenter operiunt & obligant, nec aperto illud cœlo committunt. Ad quem modum & fratris uitium tegendum nobis et occultandum est, nec in publicum efferendum, sed leniter ille et clam remotis arbitris admonendus est, ut resipiscat et ab errore uiæ suæ recedat. Quæ sane secreta admonitio, eum (si quid aliud) in rectam uiam reducet atq; ad sanitatem reuocabit. Quòd si il-

Proximus secreto admonendus.

lius

lius peccatum primum uni, mox alteri, in aures instillemus, nihilominus silentij fidem exigentes, quasi id ipsi tantũ indicatum à nobis et patefactum sit: est quidem hic mos non alienæ culpæ emendatio, sed aperta nequitiæ nostræ declaratio. Certe si (ut fingimus) rem silentio uoluissemus occultari, cur ipsi eam primum in lucem enũciamus? Quamobrem illud sapientis memoria tenendum. Audisti uerbum aduersus proximum tuum: commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. Et alibi, Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Eccl. 19. Eccl. 10.

PECCANT etiam in hoc præceptum, qui detractoribus eiusmodi libenter aures præbent. Eleganter Bernardus, Detractor (inquit) diabolum gestat in ore, detractionis auditor in aure, facile enim eiusmodi linguæ & aures, sibi mutuo quasi similes labris lactucæ inseruiunt. Quare Sapiens inquit, Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Detractores non audiendi. Prouerb. 25.

PRAETEREA huius prȩcepti uiolatores sunt, qui assentatione & duplici lingua illis placere conantur, quos sciunt calumnijs nimium credulos esse. Adulatores.

ITEM iudices qui ferunt sententiam contra suam conscientiam, aut qui in iudicio celant & supprimunt ueritatem, qui prauis et distortis causarũ actionibus à iustitia et ȩquitate abducũt, aut quouis modo iustitiã impediũt ac morantur. Iudices.

ITEM cognitores, censores, aut arbitri qui pronunciant de causa non bene examinata. Maxime uero illi et grauissime hoc præceptum infringunt, qui in falsam & à catholica ueritate alienam doctrinam alios quouis modo inducere conantur, ut qui hæresim prędicando uel docendo asserunt, aut qui humana commenta docent pro uerbis diuinis, ea proferentes tanquàm dei oracula. Atq; ij deteriores longe sunt falsis testibus in proximum, cum etiam aduer- Concionatores.

sus deum & inuictam illius ueritatem, perperam testificari non erubescant.

DECIMVM PRAECEPTVM.

Non concupisces domum proximi tui, nec desyderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinũ, nec omnia quę illius sunt.

IN CAETERIS PRAECEPTIS tum dicta tum facta contra dei uoluntatem et amorem proximi prohibentur, in hoc ultimo interius animi consensus ad malum interdicitur, omnisq; illicita cogitatio, desyderium et mala uoluntas, peccatum esse ostenditur. Quæ quidem malę cupiditates ac desyderia, ita ui concupiscentiæ nobis penitus inhærent, ut quamuis spiritu dei simus donati, et animum per dei gratiam, ad ea quę sancta et pia sunt, erectum habeamus, peccatum omne detestantes ac fugientes; maneat tamen in nobis pronitas quędam atq; in malum propensio, adeo ut nisi deus nos sustentaret, et in cohibenda concupiscentia nos ad resistendũ adiuuaret, in flagitium profecto et turpitudinem præcipites rueremus; ita naturæ deprauatione tam longe distamus ab illa uera obedientia, qua primus parens in statu innocentiæ præditus erat.

Natura depraua ta.

DE HAC prauitate et morbo naturæ conqueritur Paulus ad Romanos septimo, ubi prolixe ostendit tantam esse concupiscentiæ tyrannidem, ut nemo possit naturæ uiribus legi dei satisfacere, docetq; legẽ uniuersos peccati et transgressionis arguere, eoq; necessarium esse ut omnes per gratiam

Rom. 7.

tiam et dei misericordiam in Christo salutem quærant.

PORRO ut in quinto precepto, parentũ nomine, omnes superiores ac maiores intelliguntur: ut in sexto, sub cędis nomine, omnis ira et uindicta cõtinetur:, ut etiã in septimo, sub mœchia, omnis impuritas et libido comprehenditur: ut in octauo quoq;, per furtũ, omnis dolus malus significatur: ut in nono, per falsum testimonium, omnis linguæ abusus designatur: ita in hoc decimo præcepto, cum prohibetur ne concupiscamus domũ uel uxorem proximi, sciendum est in uniuersum omnem nobis concupiscentiam malam et illicitam appetentiam, cuiuscunq; rei illa sit, penitus interdici.

ATQVE ut malæ concupiscentiæ, desyderia, et affectus prohibentur: sic affectus boni ac bona desyderia à nobis ui huius præcepti requiruntur. Item obedientia perfecta legi dei, ad quam et si in hac uita non datur perfecte atq; ad plenum attingere, at hoc præceptum exigit, ut tota semper animi contentione eo nitamur, concupiscentiæ nostræ assidue resistendo, et ueterem hominem indies deponendo.

Concupiscentia autem ideo mala dicitur, quoniam ad malum, hoc est, peccatum allicit ac solicitat, iuxta illud Iacobi. Nemo cum tentatur dicat quoniam à deo tentatur, deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat, unusquisq; uero tentatur à concupiscentia sua abstractus et illectus, deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum: peccatum uero cum consummatum fuerit, generat mortem. Qui uero prauam concupiscentiam, libidinis, auaritię, inuidiæ, aut cuiuscunq; sceleris non reprimunt, sed ad explendam ac perficiendam eius suggestionem animi studium applicant, huius præcepti transgressores sunt.

Concupiscẽtia cur mala dicatur.

Iacob. 1.

PECCANT quoq; in hoc preceptum qui proximorũ felicitati et successibus inuident, aut de illorum calamitate et rebus aduersis gaudent. Item qui ad proximorum bona

tuenda et conseruanda (qualia sunt uxor, liberi, serui, prædia, facultates et his similia) animi studium et uoluntatem non adhibent. Exigit enim hoc præceptum perfectam in proximum beneuolentiam, et absolutam charitatem, non erga amicos tantum, sed etiam hostes.

PRAEFATIO IN PRECATIONEM DOMINICAM.

ORATIONIS QVAE DOMINICA uocatur, authorem fuisse dominum nostrum Iesum Christum, eamq; apostolos suos docuisse ceu formam ac modū quo deum interpellarent, sacrosancta euangelij historia aperte demonstrat. Quæ oratio ut à summo ac sapientissimo authore profecta est: ita aliarum omnium perfectissima, et omnibus numeris absolutissima esse credenda est. Nihil enim in ea redundat, nihil desyderatur eiusmodi petitionum aut uotorum, quæ uel ad hanc uitam transigendam, uel ad obtinendam æternam gloriam sunt necessaria.

PORRO nihil earum postulationum (quas oratio hæc complectitur) nobis à cœlesti patre negatum iri persuasissimum habeamus: si modo nos mentem nostram diuinæ uoluntati summittere ac conformare, firmamq; semper in dei bonitate fiduciam collocare ex animo studeamus, scientes irritam et deo ingratam esse orationem, quæ non ex fide proficiscitur, et ex corde effunditur. Quamobrem et propheta Dauid, in toto corde se ad dominum clamasse dicit. Et Moyses interrogatur cur clamaret, cum tamen nihil ore locutus sit, etsi cor canorum haberet. Repre-

Psal. 118.
Exod. 14.

henditur

henditur etiam apud prophetam populus labijs deum honorans cuius cor à deo longe aberat. Quisquis ergò hac precatione dominica cœlestem patrem oraturus accedit (si modo id quod desyderat, impetrare uoluerit) is fidem ante omnia et intentũ mentis in deum affectũ ut habeat necessum est, quò lingua pariter et corde dei maiestatem alloquatur,

Esa. 29.

Fides in oratione.

QVARE expedire admodũ arbitramur, ut populus uernaculo sermone potius q̃ peregrinis ac non intellectis uocibus inter orandũ utatur. Ita enim orantes attentiores erunt, et fructũ longe maiorem, animis in deũ excitatis percipient.

Orandum sermone intellecto.

PATER NOSTER QVI ES IN COELIS, SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

QVANTA CONSOLATIO cum orantes, hoc est, deum alloquentes, prima uoce eũ PATREM nominamus. Nã si rex quispiã terrenus nobis iuberet, ut ipsum uocaremus patrẽ, quanto inde gaudio perfunderemur, quantos spiritus conciperemus ex tam gloriosa appellatione? NVNC uero quum ipse rex regum et idem omnipotens deus, PATER NOSTER, et esse et uocari dignetur: an non inde multo magis nobis lætandum est, quum nulla consolatio huic comparari possit?

ET profecto non secus de paterno dei in nos affectu certi esse possumus (modo filij eius esse non recusemus) quàm sunt filij carnales de parentum beneuolentia et amore. Nec ullum est patris officium, aut signum amoris, quod non

abundantissime filijs suis præstabit deus, quibus etiam regnum ante mundi constitutionem præparauit.

QVEMADMODVM autem cum deum patrem uocamus, ineffabilis illa charitas dei animis nostris obuersari debet, qui ideo & pater noster est, quòd ex nihilo nos creauit, et quòd damnatos ac perditos in filios et heredes per Christum adoptauit: ita in uocabulo patris officij nostri et pietatis in deum uehementissime admonemur, docemurque, officium nostrum postulare, ut cum filij dei nominemur et simus, uerum erga deum filiorum affectum exhibeamus, eiq; tota mente addicti simus, illius amori indesinenter inhæreamus, et mandatis denique eius summa obedientia, humilitate et alacritate pareamus.

QVI ergo ad deum orandum accedere audet, et patrem eum compellare, nec tamen secum constituit filium se dei amantem et gratum in omnibus præstare, hic sane non aliter accedit ad deum, quàm Iudas ad Christum, qui osculo amorem simulans, et Rabbi appellans, reuera tamen proditor et hostis fuit. Quocirca recitaturus hanc coram deo precationem sese prius excutiat ac diiudicet, et conscientiæ suæ latebras exploret, num in eo sit statu, ut deum uocare patrem possit. Quem si conscientia deterret, quo minus ausit hanc gratiam sibi uendicare, is in se reuersus et indignitatem suam agnoscens, scelerum suorum et iniquitatis se apud deum accuset, et ad filij prodigi exemplum intra se loquatur: Surgam et ibo ad patrem meum. Et illud, Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus uocari filius tuus. Quod si dolorem de peccato, firmumq; et penitus infixum innouandæ uitæ propositum habeat, de misericordia dei cõfidens clamet ad patrem, atq; hanc orationem bona cum spe supplex repetat dicens. Pater noster &c.

Luc. 22.

Orandũ prius conscientia.

Luc. 15.

ET O magnã et incomprehensibilem gratiã, quòd sum-

mus rerum omnium conditor deus, etiam omnium noſtrũ communis pater ſit, tum ut diximus quia Creator eſt, tum paternitate multo arctiore per unigenitum ſuum dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem uocati in hanc gratiam ſumus, ut filij dei & regni cœleſtis hæredes cum eo ſimus. *Deus, pater eſt duplici ratione.*

NON ſolum autem hanc uberrimam doctrinam de amore dei in nos, noſtraq; in deũ pietate hec una uox PATER nobis exhibet: ſed amorem etiam et officium noſtrum erga proximum, nobis in mentem reuocat: fratres enim omnes ſumus, uno Patre ſummo æternoq; deo geniti.

CVRANDVM ergo et omnibus modis ſtudendum eſt, ut dilectionem et cum patre & cum fratribus integram ſeruemus, et eorum ſalutem in omnibus quæramus, hoc ſcientes, ut Ioannes inquit: Quod qui dixerit diligo deum et fratrem ſuum odit, mendax eſt. *Ioan. 3.*

ATQVE ut huius charitatis et coniunctionis mutuæ et cõmunionis cũ proximo admoneamur, noluit deus ut ſinguli ſuũ patrem uocarent, ſed ut omniũ cõmunis, PATER NOSTER, compellari uoluit, hoc præterea ſuggerens, quod cum oramus, non pro nobis tantum ipſis ſinguli, ſed pro uniuerſis precamur: Non enim dicimus da pater mihi panem quotidianum, ſed da nobis, et dimitte nobis. &c. *Noſter.*

CVM autem dicimus QVI ES IN COELIS, admonemur animos noſtros in cœlum erigendos eſſe, atq; eo cogitationes, ſtudia et deſyderia noſtra omnia ſpectare debere, atq; in patrem noſtrũ cœleſtem intendi et referri, utq; tanti patris preſentiam aſpectumq; ardentiſsimis uotis ſemper optemus. *Qui es in cœlis.*

MONEMVR item ut à rebus terrenis animos abſtrahamus, atq; à peccato, mundo, et carne liberi ac ſoluti cœleſtia ſemper meditari et ut (Paulus docet) quæ ſurſũ ſunt ſapere diſcamus, utq; internis oculis in cœlũ aſsidue intentis *Coloſſ. 3.*

miſeriam

miseriam peregrinationis nostrę desleamus, dicentes cum
Psal.119. propheta Dauide, Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est.

IAM his uerbis, SANCTIFICETVR NOMEN
Nomen dei. TVVM, Per dei nomen deus ipse intelligitur, totaq; illa ac summa infinita maiestas, potentia, uirtus, gloria, sapientia, bonitas, prouidentia, misericordia. &c. Sanctificatur autem
Sanctificare nomen dei. dei nomen, cum illud laudibus extollimus, prædicamus, celebramus, cumq; uerbis et operibus nostris illud magnum, terribile et sanctum esse ostendimus.

PETENTES autem nomen hoc sanctificari, non intelligimus dei nomini (quod in se perpetuo sanctum, admirabile, glorioſum et maiestate plenum est) aliquam per nos sanctificationem accedere, aut quod nostra laude et prę-
conijs egeat: sed hoc petimus ut nomen dei quod in se sanctissimum est, apud omnes et in omnibus gentibus sanctum habeatur, illustretur et glorificetur, atq; ut gratia euangelij et salutis per Christum partæ, omnibus ubiq; terrarum in-
notescat, utq; eam cuncti mortales amplectantur, iuxta il-
Psal. 66. lud quod orat Dauid in psalmis: Confiteantur tibi populi deus, Confiteantur tibi populi omnes.

CONTRA uero dicitur nomen dei pollui et maiestas
Esa. 52. illius uiolari et contumelia affici per hominum uitia. Sicut scriptura loquitur. Nomen meum blasphematur tota die. Et tamen hoc sanctum nomē (quod ad se attinet) haud unq̄ potest contaminari, nec eius splendor ullo pacto obscurari. Sed hæ phrases significant nos cum male uiuimus, quātum in nobis est, deo honorem per contemptum detrahere, eiusque maiestatem diminuere, et eum contumelia afficere: ita ut quamuis in se semper sanctus et glorioſus sit, in peccatoribus tamen, qui nec ipsi sancti sunt, nec sanctitatis studio dediti, eius sanctitas non appareat. Quare oramus, ut sanctificetur

ctificetur in omnibus, hoc est, ut omnes sancti sint sicut ipse sanctus est, utq; per ipsius gratiam sanctificati deum in ipsis habitare per uitæ sanctimoniam ostendant. 1.Pet.2.

PORRO cum oramus ut sanctificetur nomen dei, non modo ueram fidem & dei cognitionem ubiq; propagari et diffundi optamus: sed etiam petimus omnem falsam religionem, idolorum cultum, superstitiones, magicas artes, incantationes, hæreses, impias doctrinas aboleri et euanescere, utq; omni diffidentia et infidelitate mundus liberetur, atq; ad cultum unius dei uiui eiusq; sancti nominis inuocationem conuertatur, Deniq; ut in ecclesia, dei uerbū pure et sancte doceatur ac tractetur, et ut absq; omni hypocrisi aut simulatione, in ueritate, sanctitate et iusticia, deo seruiatur.

ORANTES etiam sanctificari nomen dei, rogamus ne in uanum hoc sacrosanctum nomen sumatur, ut per illud non iuretur, aut ad mendacia, fraudes ac dolos, ab hominibus usurpetur. Atq; in summa deum pro uniuersis oramus, ut eos ab omni peccato seruet. Quisquis enim peccatum facit, peccati seruus efficitur et deum relinquit, eiusq; nomen (quantum in ipso est) prophanat. Ioan.8.

POSTREMO hac petitione oramus, ut eam nobis pater cœlestis gratiam inspiret, qua in omnibus periculis ad ipsum confugiamus, sanctum illius nomen inuocemus, in omnibus sermonibus, factis, cogitationibus, consilijs, eum præ oculis habeamus, ut in fide eius et confessione constantes permaneamus, ita uitam instituamus, eamq; bonorum operum lucem ostendamus, ut omnes uidentes bonam nostram in Christo conuersationem, excitentur ad glorificandum patrem nostrum, qui in cœlis est. Mat.5.

Adueniat regnum tuum.

HVIVS PETITIONIS VTIlitatem et neceſsitatem facile eſt animaduertere. Antiquus enim hoſtis diabolus, noſtræ ſalutis aduerſarius, haudquaquàm ceſſat aut dormitat: ſed obambulat uelut leo rugiens, quærens quē deuoret, qui cum in regnum ſuum nos omnibus machinis et dolis pertrahere laboret: reſiſtendum fortiter eſt hac precatione, et perpetuo orandum, ut dei regnum adueniat, atq; ut à ſatanę regno liberi et immunes ſeruemur. 1. Pet. 5.

QVAMDIV enim ſuperbia, ira, inuidia, inanis gloria, ambitio, libido, auaritia, aut huiuſmodi peſtes in nobis regnant, tamdiu manemus ſub diaboli poteſtate et imperio. Eſt enim ille rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, id eſt, impios peccatores, qui deum non timent. Regnum diaboli. Iob. 41.

QVONIAM autem non eſt noſtræ poteſtatis aut uiriū, nosipſos ex hac dominatione & regno diaboli eripere, ſed in diuina tantum ope et gratia ſalus noſtra poſita eſt, ut ait propheta: Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum &c. Propterea hæc precatio indeſinenter nobis repetenda eſt, et orandum ut deus rex noſter eſſe, noſq; regere et ſubditos habere dignetur, utq; à diaboli ſeruitute in libertatem ſeruorum et filiorū dei euadere poſsimus, nec in priſtinam aduerſarij noſtri tyrannidem recidamus. Oſee. 13.

ITAQVE oramus ut fidem, ſpem, charitatem, patientiam et cætera ſpiritus ad ſalutem noſtram neceſſaria dona, deus nobis largiatur, ut ſpiritu ſuo regat nos, atq; ad uoluntatem ipſius in omnibus perficiendam adiuuet ac moderetur, ut mundi pompam et faſtum contemnamus, ut innocentia & manſuetudine impium ſpiritum uincamus.

In ſum-

IN SVMMA oramus ita dei regno per gratiam subijci, ut sempiternum gloriæ regnum ualeamus acquirere, ut hoc regnum in nobis inchoatum, deus indies in nobis augeat ac tandem perficiat, ut progrediamur in omni studio pietatis, ut perseueremus in cultu dei, ut omnem pigritiam, ignauiam et torporem excutiamus, et eorum quæ à tergo sunt obliti, ad anteriora semper extendamur, ut impleamur cognitione uoluntatis dei (sicut Paulus pro Colossensibus orat) in omni sapientia & intellectu spirituali, deniq; ut ambulemus digni deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia dei &c. Atq; ut alio loco Paulus loquitur: Veritatẽ facientes in charitate crescamus in Christo &c. Ita tandem ad immortale illud regnum et hæreditatem perueniemus, cuius regni desyderio æstuare corda nostra deberent ut cum Paulo uere dicere possemus singuli: Cupio dissolui et esse cum Christo. Item illud. Gemimus in nobisipsis adoptionem filiorum dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Eiusmodi namq; piorum omnium et deum perfecte timentiũ uoces et desyderia sunt. Coloss. 1. Ephes. 4. Philipp. 1. Rom. 8.

Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.

QVM TANTA SIT NATVRAE nostrę deprauatio ut sine dei gratia nihil boni efficere ualeamus, sitq; ea nostræ uoluntatis peruersitas ut nec deum nec proximũ absq; dei spiritu recte diligere uelimus: oramus propterea, ut nostræ uoluntatis malitiam sanare dignetur, et eam inserat pectoribus nostris uoluntatẽ, quæ cum ipsius uoluntate conueniat, et quæ omnipotenti & sanctissimo illius consilio se subijciat, ut una cum deo semper uoluntate prædita, cum sanctis et angelis quorum uoluntas ab illo

nunquàm discordat, eum perpetuo laudemus & glorificemus, quodq; ipsi placitum est, semper et uelle et præstare nobis iucundũ sit, spiritus sancti ductum in omnibus sequamur, uoluntatem dei, siue ea nobis aduersa, siue prospera immittat, moderate et placide feramus. Dei enim uoluntatem nunquàm non optimam esse scimus, nostram autem uitiosam admodum et peruersam esse confitemur.

NON ergo nostram sed dei uoluntatem fieri oramus, idq; SICVT IN COELO ET IN TERRA, hoc est, ut doceat nos imitari illã alacritatem, illã obediẽtiæ promptitudinem, qua cœlestes spiritus ipsius uolũtati seruire gaudent, ut nos terra degentes, et humi reptantes, mente tamen et spiritu expediti, quæ ad dei gloriam et cœlestem hæreditatem pertinent, sedulo cogitemus: peccatum et ueterem hominem exuamus, nouum autem qui secundũ deum creatus est, induamus: sanctificationem in timore perficiamus: Siquidem hæc dei est uoluntas, nostra sanctificatio. 1. Thes. 4.

PETIMVS etiam ut det nobis cœlestis pater stabilem in omnibus casibus ac firmam patientiam, ut si quando incidamus in res aduersas et uoluntati nostræ ac sententiæ molestas & contrarias, dei uoluntatem nostra repudiata libenter sustineamus, nec ullis tentationibus ad murmurationẽ in deum, uel ultionem in proximum, permoueamur: sed agnoscamus manum et disciplinam patris, et tribulationes quascunq; æquo animo perferamus, scientes à deo eas subinde nobis immitti, ut indomitam uoluntatis nostræ duritiam frangat, atq; emolliat, ne indurati eum perpetuo irritare pergamus. Ad hæc rogamus ut in rebus aduersis, quibus non nisi deo aut uolente aut permittente tentamur, ipsum semper laudemus cum gratiarum actione: certo persuasi, tribulationes omnes uel ob castigationem uenire, ut emendemur: uel ob probationem, ut confirmemur. Tribulationes cur nobis immittat deus.

Maxime

MAXIME uero hoc nobis concedi precamur, ut in hora mortis, cum deo uisum fuerit ut hinc migremus, tunc cũ diuinę uoluntatis decreto nostra uoluntas perfecte consentiat, ut nullo timore aut ægritudine illius uoluntati inobedientes reddamur, sed ut membra corporis nostri uniuersa, omnesq; animi uires ipsius uoluntati semper obsequantur et morem gerant: Item ut omnibus qui uoluntati nostræ aliquando resistunt aduersarijs et inimicis, aut ijs qui nos lędunt, persequuntur, cruciant, ex animo ignoscamus, eorũ prosperitati, laudi et gloriæ non inuideamus. In summa ut idem uelle et nolle nobis cum deo sit. *Christiani e uita discedentis affectus.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

PETITIO hæc continet necessaria subsidia præsentis uitæ. Notãdum autem quòd panem petimus, nõ lautas epulas, non uoluptatem, opulentiam, honorem, gloriã, aut res minime necessarias uel superfluas, sed eas tantum quibus uitæ et conditionis nostræ necessitas sustẽtatur. Nihil enim intulimus (ut Paulus inquit) in hunc mũdum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus, nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desyderia multa inutilia et nociua, quæ mergunt homines in interitũ et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. *1. Tim. 6.*

Hoc sapiens exploratum habens sic orat: Mendicitatem et diuitias ne dederis mihi, tribue tãtum uictui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandũ, et dicam quis est dominus? aut egestate compulsus furer et periurẽ nomẽ dei mei. *Prouerb. 30.*

Panis noſter.

QVOD autem petere docemur panem noſtrũ, ſuggeritur nobis ne alienum panẽ rapiamus, hoc eſt, à bonis aliorum manum contineamus, nec fraude aut ui alios ſpoliemus.

COMMENDATVR item hac petitione induſtria et labor, ociumq; et negligentia damnantur. Nam ocioſi et qui abhorrent à labore, fruſtra panem ſuum petunt, cum pro eo adipiſcendo nullum laborem ſuſtinere dignentur, ſed alieno pane ſe expleant.

ARGVIT præterea hæc petitio omnes, qui in officio aut dignitate aliqua conſtituti, ſuſceptam prouinciam negligunt, nec ſuæ uocationi reſpondere et ſatisfacere curant. Omnibus nanq; in ſuo gradu et uocatione fideliter laborãdum eſt, nec quiſquàm à labore immunis eſſe debet, qui ſe quotidiani huius panis participem fieri petit. Siquidem (ut apoſtolus ait) Qui non laborat non manducet.

Laborandum ſingulis in ſua uocatione.

2. Theſſ. 3.

QVANQVAM autem omnibus laborandum eſt, et in ſudore uultus ſumendus panis, tamen ut agricola poſt tantum laborem in agro proſcindendo, ſerendo, purgando, et cuſtodiendo ſumptum, omnem ſuam induſtriam deo commendans, quicquid ab illo prouenerit, æquo animo et cum gratiarum actione accipit: ita in omnibus rebus et negotijs cum diligentiam omnem ſtudiumq; adhibuerimus, deo totum committamus oportet, eum orantes, ut quemadmodũ ipſi uiſum fuerit nobiſcum agat: Omnem noſtram ſolicitudinem, ut Petrus monet, proiicientes in illũ, quoniam ipſi eſt cura de nobis. Et Chriſtus in euangelio uetat ne ſoliciti ſimus. Nonne (inquit) anima plus eſt q̃ eſca, et corpus plus q̃ ueſtimentũ? Reſpicite uolatilia cœli, quoniã non ſerunt, neq; metũt, neq; congregant in horrea, et pater ueſter cœleſtis paſcit illa. Nõne uos magis pluris eſtis illis? Quis autẽ ueſtrũ cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuã cubitũ unum? Et de ueſtimento quid ſoliciti eſtis? Con-

Solicitudo in deum proijcienda.

1. Pet. 5.

Matth. 6.

ſyde-

ſyderate lilia agri quomodo creſcunt, nõ laborãt neq; nent, dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis. Et infra: Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hęc enim omnia gentes inquirũt. Scit enim pater ueſter quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum dei et iuſtitiam eius, et hæc omnia adijcientur uobis. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. &c.

QVAE uerba Chriſti, plena ſunt conſolationis et ſaluberrimæ doctrinæ, non eſſe uidelicet, cur nos ob iſtas rerum fluxarum curas diſcrutiemus, aut in craſtinũ ſoliciti ſimus, ne uideamur dei benignitati diffidere.

ATQVE hic obiter notanda eſt non exigua illa conſolatio, quam offert deus plebeijs et infimæ conditionis hominibus, iuſto labore uictum quærentibus. Hi enim operam ſuam, artem, miniſteriũ, opus, officiũ, cum fide præſtantes, certi eſſe poſſũt ſe deo placere, et in eo uiuendi genere poſſe ſalutem conſequi, quemadmodũ alij in alio quocunq; ſtatu. *Plebeij et infimæ ſortis homines.*

PORRO quamuis multi ſint, qui diuitiarum et rei familiaris copia abundant, quę ipſis non ſolum in craſtinũ diem, ſed etiam in annos multos ſufficiat: uel hi tamen quotidianum à deo panem petere docentur. Nam quantacunq; illis affluxerit copia et ubertas: at (niſi deo eandẽ cuſtodiente) nullum inde fructũ percipient, nec ſuis fruẽdi, illis poteſtas dabitur. Quot enim nouimus in orbe diuites, et iuxta ſęculum beatos, quorum omnes opes ac fortunas exiguo temporis momento uel aqua abſorbuit, uel ignis abſumpſit, uel alius caſus abſtulit? Quis neſcit beatum Iob, qui inter orientales omnes uir ditiſſimus erat, uno die maximas diuitias omnes amiſiſſe? Orandum igitur, ut deus opes quas nobis donauit cuſtodiæ, et gratiam tribuat recte utendi, nihil enim alioqui accepiſſe proderit, nec, niſi deo ſeruante, eas uel *Non confidẽdũ in diuitijs.*

Iob ſubito diuitias amiſit.

tueri

tueri ac retinere potuerimus, aut aliquam inde commoditatem percipere.

Eucharistia panis quotidianus. Ioan. 6.

POSSVMVS quoq; in hac petitione panem intelligere, sanctissimum domini nostri corpus in Eucharistia. Ita enim Christus de se loquitur apud Ioannem. Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi: Et panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Rogamus ergo in hac petitione, ut sacramentum pure & sancte administretur et distribuatur ad ecclesiæ consolationem, utq; nos huic mysterio digne ad animarum salutem communicemus.

Panis quotidianus uerbū dei.

Matth. 4.

PRAETEREA per panem, quem hic petere Christus docet, recte etiam intelligitur dei sermo, qui animæ cibus est, et quo assidue mens nostra alenda est et reficienda, perinde ac corpus crasso isto et terreno alimento, iuxta Christi sententiam: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei. Et est sane dei uerbum unicum animarum nostrarum solatium, unicum summumq; remedium ac salus. Nam unde nobis consolatio in aduersis præterquàm ex dei uerbo? unde medicinam animæ languenti petemus? unde oleum aut uinum uulneribus animarum deprometur, nisi ex sanctissimo dei uerbo? unde uel presumptio nostra retundetur, aut à desperatione animus erigetur? unde dei misericordiam, iustitiam, prouidentiam, præterq; ex ipsius uerbo cognoscemus? unde spiritualem petemus armaturam aduersus diabolum, aut quo gladio hostem feriemus præterquàm dei uerbo? Quare hic panis (uidelicet diuini uerbi intelligentia) nunquàm nobis non petendus à deo est, cum inde salus et uita nobis potissimum obueniat.

Verbi diuini fructus.

Psal. 118.

Assidue igitur ad deum clamandum cum Dauide: Da mihi intellectum. Et illud, In uerbo tuo uiuifica me.

TRIPLICEM itaq; panem hac petitione à cœlesti patre rogamus, uerbum dei, Eucharistiam, et quotidianū alimentum corporis.

Indi-

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut et nos dimittimus debitoribus noſtris.

DEPRIMIT HAEC PETITIO inſolentiam humani ſpiritus, ne quiſquàm de ſua iuſtitia aut ſanctitate glorietur. Admonet enim uniuerſos peccato obnoxios eſſe, eoq; oportere ueniam et miſericordiam à deo poſtulare, et non propriæ innocentiæ confidere. Quotidie nanq; labimur et peccatis implicamur, et propterea quotidie delictorum remiſsionem petere iubemur. Ioannes in epiſtola ſua ſcribit. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, et ueritas in nobis non eſt. *Non confidendum in noſtra iuſtitia.* *1. Ioan. 2.*

NOTANDA eſt præterea huius petitionis clauſula qua nõ aliter à deo ueniã petimus, atq; nos his (à quibus lædimur) ueniam damus. Neq; enim, niſi hac accepta conditione, miſericordiam ullo pacto à deo conſequemur, ut ſcripturæ uarijs locis confirmari poteſt. Sic enim Chriſtus Math. 6. aperte teſtatur. Si dimiſeritis, inquiens, hominibus peccata eorum, dimittet et uobis pater ueſter cœleſtis delicta ueſtra: Si autem nõ dimiſeritis hominibus, nec pater ueſter dimittet uobis peccata ueſtra. *Matth. 6.* Et eiuſdem euangeliſtæ, Cap. 18. Interrogatus dominus à Petro quoties fratri remittendũ foret, num ſepties? non dico tibi, inquit, uſq; ſepties, ſed uſq; ſeptuagies ſepties, oſtendens nullum numerum offenſas condonandi præſcriptum eſſe, ſed quotiescunq; reſipuerit qui peccauit, toties illi ex animo eſſe ignoſcendum. Et ut in remittendis proximi in nos culpis, dei clementiam et facilitatem imitari diſcamus, longam illico parabolam Chriſtus ſubiungit. Aſsimulatum eſt, inquiẽs, regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum ſeruis ſuis &c. Cuius parabolę finis & ſcopus hic eſt, quod niſi unus quiſq; *Matth. 18.*

fratri offensas ex animo remiserit, nec deus peccata in ipsũ commissa ei condonabit.

QVARE si dei iram effugere, & æternam ultionem euadere cogitamus: curandum nobis diligenter, ut odium, maleuolentiam, inuidiam, offensionem omnem, et uindictæ cupiditatem, ex animo eijciamus, ultionem deo permittentes. Et dantes (ut Paulus inquit) locum iræ.

Rom. 12

Iniuria affecti quomodo nos geramus.

QVANDO autem iniuria nobis illata fuerit, non est ut nos ipsi de his ulciscamur à quibus lædimur, sed principi qui dei minister est, aut magistratui causam permittamus, ut secundum leges publicas, qui in nos deliquerunt, uel nobis satisfaciant, uel (quatenus reip. id commodum erit) meritis pœnis afficiantur. Neq; enim id illicitum aut deo ingratum est, ut læsi atq; iniurijs affecti, magistratui causam deferentes, remedium petamus: modo caueamus diligenter ne aliquid priuatæ offensionis aut simultatis in animo resideat, et quod in nos peccatum est ex animo remittamus: Quod autem in remp. designatum est, de eo magistratus uiderit.

QVOD si cuipiam res admodum difficilis et ardua uideatur, omnibus hominibus atq; adeo inimicis iniurias ex animo remittere, is meminerit et cum animo suo reputet, quanta Christus pro nobis perpessus sit. Quid enim eramus cum uitam suam pro nobis et sanguinem profudit, nisi peccatores et deo inimici? Quantos ille dolores et tormẽta pro nobis pertulit? Quorum recordatio, si non uel ut crudelissimo hosti ignoscamus, nos emolliat, plusquàm ferrei profectò sumus. Est sane à naturæ humanæ prauitate ualde alienũ, ut eos qui nos odio habent, diligamus: ut lædentibus et malũ nobis inferentibus, ignoscamus. Sed licet tanta uirtus supra naturam nostram sit, deus tamen qui hanc bonitatem et clementiam à nobis suo præcepto exigit, eam ipse nobis petentibus et quærentibus benignus largietur, et gratia sua naturæ

Charitas erga inimicos.

turæ uitium ſanabit, ut ipſi, (qui peccatoribus et impijs, ſuis inimicis tãtam miſericordiã oſtendit) ſimiles eſſe poſsimus.

QVARE nos hac precatione à patre noſtro cœleſti rogare Chriſtus docet, ut nobis hanc gratiam aſpiret, quæ in erratis proximorum cõdonandis, illius nos quàm ſimillimos reddat, ut iſtud miſericordiæ donum erga proximum pectoribus noſtris infundat, quo miſericordiam exhibentes, miſericordiam ipſi tandem conſequamur.

PORRO remittere proximo hac petitione non ſimpliciter intelligendum eſt erratum condonare, ſed beneficio etiam iuuare, bene uelle, bene precari, in omnibus pro uirili commodare et ſuccurerre.

Remittere quid.

IAM VERO cum in explicando uerbo dei, operępretium ſit hanc regulam tenere, ut non unius tantum partis aut generis hominum officia exponantur, ſed omnes ac ſinguli de ſuo officio clare et dilucide inſtituantur: propterea non ſatis eſſe ducimus eos admonere, quorum intereſt alijs offenſas remittere, ut ipſi hoc officium (ſicut à deo pręceptum eſt) obedienter impleant: niſi etiam eos qui offenderunt et in proximũ peccarũt, doceamus, quomodo ipſi ſe gerere debeãt, ne uidelicet alioqui exiſtiment licere ſibi impune proximos lędere ac laceſſere, cũ audiant perpetuo culpas ſibi remittendas eſſe. Sed ſciant qui proximos offenderunt, ſe, niſi deum prorſus cõtemnant, peccatum ſuum agnoſcere debere: nec à deo tantũ ſed etiam à fratre quem lęſerũt ueniam rogare, et in poſterũ ab iniuria deſiſtere, damnum etiã illatum reſarcire quoad poſſunt, aut quatenus culpæ grauitas poſtulat. Quod ſi obſtinatis animis nocere perrexerint, nec à ſua iniquitate conquieſcere uoluerint: ij iure et legibus comprimendi ſunt, de quibus fas eſt et apud magiſtratum conqueri, et iuris formulam illis intendere, eosq; ad iuſtum et æquum præſtandum legum authoritate adigere: ita tamen

Singulorum officia oſtendenda ex uerbo dei.

Quid agendũ illi qui fratrẽ offendit.

men ut non ex priuato affectu uel odio, sed charitate et iustitię studio actio procedat. In quibus omnibus causis aut quęcunq; homini negotia in uita accidunt: in illã Christi sententiam, tanquàm certissimam conscientię regulam intuendum est. Quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, uos similiter facite illis. Hæc est enim lex et prophetæ.

Regula conscientiæ. Mat. 5.

Et ne nos inducas in tentationem.

TENTATIONVM DVPLEX GENVS est: Alterum à deo immissum ad probandam piorum constantiam et fidem. In quibus tentationibus ita fidelibus adest deus, ut nec patiatur tentari eos super id quod possunt, sicut Paulus docet: et tentationes etiam illis in bonum et insigne commodum uertat. De hoc genere tentationum in hũc modum scriptura loquitur. Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis. Sic legimus tentatos Abraham, Iob, Dauid. Et eiusmodi tentationibus iusti omnes ac filij dei in hac uita sæpenumero exercentur. Altera tentatio potissimum uenit à diabolo: Qui sicut leo rugiẽs circuit quærens quem deuoret, partim etiam à nostra concupiscentia, quę perpetuo ad malum inclinat. Vnde Iacobus. Vnusquisq; à sua concupiscentia tentatur abstractus et illectus. Hæc concupiscentia inclinatio est, et pronitas deprauatæ ac uitiosæ naturæ nostrę in peccatum, in quam miseriam ex peccato originali incidimus: quod peccatum etsi baptismo deletum et condonatum est: manet tamen carnis aduersus spiritum rebellio, quæ non nisi morte corporali terminabitur. Nec quisquam est ita mortuus mundo et carni, aut tantam spiritus gratiam consequutus: ut concupiscentiã penitus extinxerit. Quanq; autem

Tentatio duplex. 1. Cor. 10.

Eccl. 28.

Tentatio iustorum.

Tentatio à diabolo et concupiscentia.

Iaco. 1.

Concupiscẽtia

Rebellio carnis contra spiritum.

autem ea in totum liberari in hac uita nequimus: non nocet tamen nisi consentientibus, nec in peccatum imputatur, nisi cum in nobis eam regnare permittimus. Nunq̃ certe ita sopita est, ut non subinde emergat ac molestet: cui nisi perpetuo uigilantes resistamus, in peccati et diaboli seruitutem haud dubie nos abducet. Est enim quasi radix et parens peccatorum ac uitiorum omnium. Sicut Iacobus inquit. Cõcupiscentia cum cõceperit, parit peccatum, id est, malum opus, inde ab opere inducit peccandi consuetudinẽ, ad extremum uero dei contemptum. Iuxta illud: Impius cum in profundum uenerit peccatorum, contemnit. Is enim iam aut peccandi consuetudine excæcatus, peccati magnitudinem uel ignorat, uel non æstimat: aut uana elatus diuinæ clementiæ presumptione, pœnitentiam agere negligit: aut eam spe diuturnioris uitæ differt in extremam usq; ætatem. Cuius modi sane hominibus sæpe accidit, ut repentina morte occupati et abrepti, absq; pœnitentia moriantur.

Concupiscẽtiæ radix peccatorum.

Prouerb. 18.

Pœnitentiam differendi periculum.

QVOCIRCA cum peccatum tam periculosa res sit, ac summè pestifera, et tam difficile sit lapsis à peccato resurgere et innocentiæ restitui: Optimum planè fuerit primis semper concupiscentiæ motibus obsistere, nec eos sinere in animo uires colligere aut latius grassari, sed statim ut orti fuerint atq; apparere inceperint, eos comprimere, et paruulos Babylonis, ut est in psalmo, ad petram confestim allidere. Timendum enim alioqui ne concupiscentia, nisi statim subigatur, pariat consensum, atq; inde peccatum et mors sequantur.

Vitiosi animorum motus statim comprimendi.

Psal. 136.

ORAMVS autem hac petitione, non ut omnino absq; tentatione simus: sed ne in tentationem inducamur, hoc est, ne deus nos superari in tentatione permittat, sed gratiam det resistendi: At uero fidelis est deus, ut scribit Paulus, qui non patietur uos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam

Induci in tentationem.

1. Cor. 10.

cum tentatione prouentum, ut posſitis ſuſtinere.

Iacob.1. ET Iacobus ſic conſolatur tentationibus uexatos: Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes uarias incideritis, ſcientes quòd probatio fidei ueſtræ patientiam operatur, patientia uero opus perfectū habet, ut ſitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Et in Apocalypſi, ita tentationibus infeſtati cōfirmātur, Vincēti dabo edere de ligno quod eſt in paradiſo dei mei, Item: Qui uicerit non lædetur

Apoc. 2.

2. Tim. 2. à morte ſecunda. Et Apoſtolus. Nemo coronabitur niſi qui legitime certauerit, id eſt, niſi qui ſtrenue, gnauiter ac ſe defendens omnibus modis hoſtem propellere conatus fuerit. Et Chriſtus animos addit in hoc certamine dicens. Confidite, ego uici mundum, hoc eſt, Expugnaui peccatum, et

Ioan. 16. omnes diaboli machinas, atq; hæc etiam uictoria ueſtra eſt, modo frui uictoria uelitis: Cum hoſte enim iam deuicto et ſubacto uobis res eſt.

Sed libera nos à malo.

PROXIMA PETITIO ORARE docuit, ne inuolueremur tentatione et peccato. In hac autem precamur ut ſi contigerit nos in ſeruitutem diaboli per peccatum incidere, nō tamen obdormiamus in morte, aut ſinamus peccatū nobis dominari et altius radices agere, ſed a ſatanæ tyrannide quàm primum liberemur, et peccato eripiamur.

Malū quid. MALVM itaq; à quo oramus in hac petitione liberari, præcipue eſt peccatū, quod malū culpæ dicitur, id quod modis omnibus fugere et deprecari debemus. Externa uero mala,

Mala externa. corporis, mundi, ac fortunæ, ut morbus, inopia, fames, et cæteræ calamitates, quemadmodum ſimpliciter non ſunt in malis

malis habenda, nec ſemper uitari aut poſſunt aut debent, ita nec ea deprecari licet, niſi hac conditione addita, SI DEO VISVM FVERIT, imo à deo immiſſa patienter ac libenter ferenda ſunt, cum tanquàm inſtrumenta quædam ſint ac modi, quibus ſalutem noſtrã deus operatur, quare cum gratiarum actione et gaudio ſũt accipiẽda. Ego inquit dominus: Quos amo, arguo et caſtigo. Et Paulus ait, Flagellat omnem filiũ quem recipit. Eſt autem hæc uita tempus caſtigationis, paſsionis et crucis: futura uerò pacis, quietis et gloriæ. Et certe inſignis nota eſt filiorum dei, in hoc ſæculo affligi et flagellari. Tanquàm aurum, inquit ſapiens, in fornace probauit electos dominus, et quaſi holocauſti uictimam accepit illos in æternum. Contra ingens eſt argumentum nos à deo reprobari, cum impie uiuentes, et in flagitijs perſeuerantes, florere tamen et ſecundis rebus ad carnis noſtræ deſyderium fluẽtibus, nos gaudere permittit: nec ulla nos aduerſitate ad pœnitentiam inuitare, et à peccatis auocare dignatur. Non ergo potiſsimũ abijs pœnis liberationem petere Chriſtus docet, ſed à peccato præcipue, quod ex ſe ſemper malum, abominandum, et deo exoſum eſt.

Tribulatiões ferendæ.

Apoc. 2.

Heb. 12.

Crux filiorum dei nota.

Sap. 3.

Peccatum, malum.

POSTREMO quoniã ſatan homicida et mendax eſt, omnisq; peccati, impietatis et mali prçcipuus author, incentor, inſtigator, ueritatis autem, uirtutis ac bonitatis acerrimus hoſtis: Cũiq; ſit malignus ille ſpiritus qui noſtræ ſaluti ſemper inuidet, non immerito ab huius inſidijs et poteſtate liberari optamus. Atq; ita malum proprie peccatum intelligimus, et malum etiam diabolum peccati authorem, qui quoniam nos in æternam ſecum condemnationem pertrahere ſemper laborat, proinde etiã recte ab hoc malo, id eſt, damnatione et gehenna ſeruari precamur.

Diabolus, malum.

Gehenna, malum.

Saluta-

SALVTATIO ANGELICA.

VM TEMPVS APPETERET æterno dei consilio prefinitum, quo humanum genus primorum parentum scelere damnatum, et paradiso eiectum, à peccati et mortis tyrannide, per mortem filij dei redimeretur: ob immensam suam erga homines charitatem, misit deus filium suum unigenitum in mundum, ut humanã naturam assumeret, ut qui perfectus erat deus, perfectus etiam homo fieret, atq; ita mediator et seruator noster existens, ex seruitute diaboli ereptos, in regnum suum & gloriam traduceret. Cuius rei gestæ, admirabile exordium ita ab euangelista descriptum legimus. In mense sexto (à conceptu Elizabeth) missus est Angelus Gabriel à deo (ille nimirum eximius, in ueteri testamento apud Danielem celebratus, qui iam paulo ante, præcursoris baptistæ natiuitatem annunciauerat) in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, et nomen uirginis Maria. Et ingressus Angelus ad eã dixit. AVE GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS &c.

Luc.1.
Daniel.8.

HAEC illa est beata salutatio, hoc iucundissimũ euangelij emicantis auspitiũ, hæc optatissima annunciatio, qua iam mundus gaudio perfunditur. AVE, prima uox gaudium annunciat, et humani generis luctum depellit ac profligat. Siquidem AVE seu χαῖρε gaudere iubet, et bono animo esse. Nihil hic triste aut mali ominis, sed res geritur, qua cœlum & terra exhilarentur: id quod itidem ad pastores angelus confirmat. Ecce annuncio uobis gaudium magnũ, quod erit omni populo &c.

Aue.

Luc.2.

Gaude

GAVDE, inquit, et lætare uirgo apud deum gratiosa, quam cœlestis pater tanto fauore atq; honore dignatur, ut te sponsam singularem, et filij dilecti matrem elegerit. AVE GRATIA PLENA. Soluta iam et dirupta est maledictio per Euam inuecta, ira in gratiam commutatur, et dolor transit in gaudium. Iam princeps huius mundi foras eiicietur: accedente uero rege, tyrannus imperio spoliabitur: uita emergente, mors uicta discedet: et exoriente iustitiæ luce, tenebræ peccatorum dispellentur. Plenam gratiæ appellat, hoc est, in summo apud deum fauore constitutam. Aue gratia plena. Haud qualemcunq; aut uulgarem intelligit gratiam, sed eximiam illam, quæ maxime reddat gratam et charam deo, quæq; uniuersam uirtutem et beatitudinem cõplectatur. Aue, inquit, plena gratia. Quomodo enim non omni gratia imbuta, quæ dei filium, et dominum gloriæ, et gratiæ omnis plenitudinem ac fontem paritura erat? quanta uero et quàm incomparabilis gratia, ut uirgo semper manens intacta, dei et hominis mater efficeretur?

Gratia plena.

QVID autem sit plenam gratiæ esse, ab angelo statim exponitur. DOMINVS, inquit, TECVM. Hi enim non possunt omni gratia non abundare, quibus dominus adest. Adest autem puris et castis mentibus, et cum illis habitare gaudet, at longe abest à peccatoribus et impijs, nimirum à gratia ipsius alienis, quiq; se peruersis cogitationibus, à deo sua malitia seiunxerunt.

Dominus tecum.

QVOD uero BENEDICTAM appellat inter mulieres, intelligit præ omnibus fuisse singulari benedictione & sublimiori electionis gratia nobilitatam, summis gratiæ donis cumulatissime ornatam, et infinita dignitate posthumum suum uniuersis præcellentem. Quanta uero hæc et quam immensa benedictio, quòd quàmuis de natiuitate seruatoris, decretum iam ante sæcula à deo editum fuerat; non prius

Benedicta.

tamen effecta res est, quàm uirgo sanctissima assensum prę-
beret, cuius gratia tantus nuncius è cœlo missus est. Quantà
quoq; gratia, ut humanæ redemptionis quasi medii quod-
dam et instrumentum constituta (quemadmodum eccle-
astico cantatur hymno) quod EVA abstulerat, hæc almo
germine restitueret.

BENEDICTA tu inter mulieres. Quis non fidem adhi-
beat angelo dei legato? At quo firmius credamus: ecce ite-
In mulieribus rum eadem oratio ab Elizabeth, suggerente spiritu sancto,
profertur. Nam cum ad eam inuisendam, sacratissima uirgo
accederet, statim in hũc sermonẽ erumpit. BENEDICTA
TV INTER MVLIERES. Ambo igitur, et angelus et
Elizabeth, huius gratiæ pręcones à deo constituti sunt. ET
BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI. Hæc
Benedictus fructus Mariæ. uerba nõ sunt angeli, sed Elizabeth: quæ diuino spiritu affla-
ta, benedictionem matris, filij laude concluſit. Nec uero prę-
termittendum hoc miraculum, quòd Ioannes nondum na-
tus, gaudio gestiens exultat in utero matris, quòd beatum
hunc fructum mox in terris appariturum sentiret, et quem
uoce nondum prędicare ualet: gestu tamen occulto mundi
redemptorem declarat. Apte autem fructus uentris illius,
seruator dicitur, quòd humani corporis substantiam, ex uir-
ginis substantia et carne desũpserit, atq; ex illius utero, uelu-
ti fructus ex terra prodierit. Merito autẽ BENEDICTVS
fructus uocatur, qui uitã, salutem, atq; omnimodã benedi-
ctionem nobis attulit, et mortiferi illius fructus, quem Eua
pręgustatum uiro porrexit, maledictionem expiauit. Bene-
dictus igitur fructus Mariæ, qui fructus ipse est Dominus,
Iesus, uia, ueritas, et uita æterna.

IAM uero notandum, hanc salutationem, etsi non sit ora-
tio postulatoria, esse tamen hymnum, et ex eo orationum
genere quæ laudis uocantur. Continet enim et Christi et

Mariæ

Mariæ benedictionem, nec laus matris, filij laudibus derogat, et Mariæ prçconia certe in Cstristum referuntur. Laudandus in sęcula et in æternum benedictus Christus, dominus ac redemptor, at benedicta etiam mater, quæ nobis redemptorem enixa est. Atq; ut solem iustitiæ Christum prçcipue extollimus: ita æquum est stellam, unde sol ille prodijt, suis laudibus non fraudari. Laudanda itaq;, tum quòd cæteris gratiæ donis fulgebat, tum potissimum ob fidem et humilem diuino sermoni çonsensum, id quod per os Elizabeth spiritus sanctus testatus est: Beata (inquit) quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sũt tibi à domino.

DE LIBERO ARBITRIO.

CREBRA illa præcepta, prohibitiones, et comminationes, quibus per singulas penè scripturæ sententias, deus nos compellat, clarissime ostendunt hominem arbitrij libertate præditum esse, etiam post lapsum Adæ. Quorsum enim alioqui hę uoces spectarent: Noli uinci à malo. Noli negligere gratiam. Nolite diligere mundum. Si uis ad uitã ingredi, serua mãdata. &c.

HAEC omnia certe frustra dicerentur, si nulla in homine facultas aut potestas inesset, per quã posset dei iuuante gratia (modo eam uelit oblatam amplecti) ea quæ ad salutem suam spectant, curare et perficere: deiq; mandata non solũ intelligere, sed et uoluntatem quoq; suam ad illa seruanda applicare. Atq; hoc illud est, quòd à priscis illis et catholicis ecclesiæ patribus dictum est liberum arbitrium, quod ita potest commode describi, ut dicamus, illud esse quandam potentiam uoluntatis cum ratione coniunctam, qua in his rebus

Liberum arbitrium quid.

rebus quæ ratione discerni ac diiudicari queunt, absq; coactione quispiam siue ad bonum siue ad malum se conuertit. Interim tamen meminisse oportet hanc potentiam infirmiorem esse, q̄ ut ad ea quæ deo placita et accepta sunt, uel cogitanda uel facienda sese incitare possit, nisi dei auxilio ad id subleuetur. Malum tamen ex se ac suis uiribus et uelle et perficere potest, ideoq; ab alijs ita definitur, ut sit uidelicet facultas rationis ac uoluntatis, qua bonum, assistente gratia, eligitur: malum uero, eadem destituente.

Liberum arbitrium Adæ ante peccatū.

FVIT autem arbitrij libertas aliter in primis parentibus ante peccatum, aliter uero postea et in illis, et in uniuerso humano genere. Priusquàm enim peccati uulnus sibi intulerunt, tanta erat in illis per dei beneficentiam arbitrij uis, potestas tanta, ut non modo peccatum omne declinare, sed deum etiam cognoscere ac diligere, cæteraq; omnia, quibus ad summam beatitudinem perueniendum erat præstare potuissent. Creati enim erant in iustitiæ statu, atq; ad dei imaginem et similitudinem, potestatem habentes per liberum arbitrium, obedientiam uel seruandi uel abijciendi, ita ut obedientia seruata uitam conciliarent: inobedientia autem sibi mortem acquirerent. Et in hac eos conditione creatos fuisse, Ecclesiastici decimo quinto scriptum est. Deus, inquit, ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata et præcepta sua. Si uolueris mandata seruare, conseruabunt te, et in perpetuū fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod uolueris porrige manum tuam. Ante hominem uita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi.

Eccl. 15.

Liberum arbitrium quale post lapsum Adæ.

AB HOC longè beatissimo statu, primi parentes sua praeuaricatione lapsi, et sibi et posteris grauissimam plagā inflixerunt. Nam præter alia innumera mala, quæ per illud delictum in nos transmissa sunt, suprema illa potestas humanæ

manę mentis, ita miſerabiliter labefactata et uitiata eſt, omnesq; homines in eã caliginem et infirmitatem ſunt adducti, ut peccatum uitare non poſsint, niſi ſingulari diuinæ gratiæ beneficio adiuti atq; illuminati, hoc eſt, niſi cœleſti ac ſupernaturali dono, et ſpiritus ſancti uirtute adiuuentur. Quę quidem ſancti ſpiritus uirtus ſeu gratia, licet pro immẽſa dei bonitate omnibus offeratur, ij tamen ſoli fructum inde percipiunt, qui uoluntatem ſuam ad gratiam ſuſcipiendam et conſeruandam accommodant.

AT NE ij quidem, qui gratiam omni ſtudio et animi propenſione amplectuntur, præſtare ea queunt, quæ ſunt in ipſorum ſalutem: niſi magnum conatum et ingentem laborem impendere perſeuerent, tanta eſt naturæ iam uitiatæ, et originalis peccati labe infectæ prauitas, quæ humanum genus, ſua grauitate et quaſi pondere quodam iniecto, ad malũ inclinat ac deprimit. Quanquàm enim rationis lumen non penitus in homine eſt extinctum, tanta eſt tamen caligine inuolutum ac circumfuſum, ut uel inferiora iſta, et huius mundi negotia atq; officia, ægre et non ſine magna difficultate perſpicere queat: ad ea autem, quæ ad futuram et immortalem uitam ſpectant, intelligenda et eruenda, ex ſe inualidum et inſufficiens exiſtat.

Conatu noſtro opus una cum gratia.

Cæcitas humanæ naturæ

IAM quemadmodum intellectus, ita etiã uoluntas huic imbecillitatis uitio ſubiecta eſt: quæ, etſi in his quæ preſentis uitæ ſunt, utcunq; ſe pro arbitrio exercere poteſt, ad ſpiritualia tamẽ et cœleſtia capeſſẽda, inualida atq; inefficax eſt.

QVARE ut liberum arbitrium, hunc in modum affectum ac ſauciatum ſanetur ac reficiatur, opus eſt medico et adiutore Chriſto, cuius gratia et intellectus illuſtretur, et uoluntas excitetur, ut ea quę deo grata ſunt, atq; ad iuſtitiã et ſpiritualem uitam pertinent, meditari et perficere ualeamus.

Chriſtus ſanat liberum arbitrium.

HANC naturæ noſtræ labem et prauitatem, originali peccato inductam, reſpiciens Dauid, Clamat ad deum: Reuela oculos meos, et conſyderabo mirabilia de lege tua. Item Hieremias: Sana me domine, et ſanabor. Præclara autem eſt illa Auguſtini ſententia, quæ extat Hypognoſticon 3. Eſt igitur (inquit) in homine etiam poſt lapſum, liberum arbitrium, quod quisquis eſſe negauerit, catholicus non eſt. Et quisquis ſic eſſe dixerit, quòd ſine deo bonum opus, id eſt, quod ad eius ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere, nec perficere poſsit, catholicus eſt. Ex iſs liquet, humanas uires, in iſs quæ ad ſempiternam animæ ſalutem & ueram religionem pertinent, abſq; gratiæ adminiculo nihil poſſe, oportere enim et à deo, animum ignorantiæ tenebris obductum illuſtrari, et uoluntatem deprauatam à ſpiritu ſancto corrigi ac ſanari. Nec eſt quod deum hic impij accuſent, cum hęc gratia omnibus, qui illius cupidi ſunt, abunde donetur, ſuoq; tantum uitio et malignitate homines pereant, quòd gratiam oblatam reſpuant et auerſentur. Ecce enim, inquit dominus, ſto ad oſtium et pulſo, et ſi quis aperuerit mihi, cænabo cum illo.

Pſal.118.
Hier.17.
Auguſtini inſignis ſententia.
Apoc.3.

CAETERVM ut ex multis ſcripturæ locis probari poteſt libertas arbitrij, ita haud pauciores ſunt, qui demonſtrant ſic requiri gratiam dei, ut niſi ea liberum arbitrium et præueniat, et comitetur ac deducat, nihil boni aut ſancti operis à nobis confici, aut animo ſaltem ac uoluntate conſtitui poſsit. Sine me, inquit dominus, nihil poteſtis facere. Item: Nemo uenit ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo. Et Paulus ad Corinthios. Non ſumus ſufficientes ex nobis, quaſi ex nobis, uel cogitare &c.

Liberum arbitrium nihil ualet efficere abſq; gratia.
Ioan. 15.
Ioan. 6.
2. Cor. 3.

EX QVIBVS ſcripturæ locis et permultis eiuſmodi planum eſt, libero arbitrio, antequàm boni quicquàm conetur aut cogitet, à gratia ſubueniendum eſſe: et Chriſti ſpiritum

imper-

impertiendum, ut quæ uere bona ſunt auſpicari poſsimus. Vbi autem nobis Chriſti gratia affulſerit, iam ad ſalutem ipſi noſtram cooperamur, poſsumusq; bona opera efficere, abſtinere à peccato, et in gratia perſeuerare, atq; indies in ea creſcere et proficere. Hoc ſane ſolius eſt gratiæ beneficium, quòd primo uoluntates ad bonum mouentur et excitantur: At in tentatione reſiſtere ac uincere, in bonis his actionibus perſeuerare, et progredi in ſtudio pietatis, illud utiq; et gratiæ eſt, et noſtri ſimul arbitrij atq; conatus. Ad extremum quoq; poſt peracta certamina coronari, et præmio æternæ uitæ donari, id quidem miſericordiæ dei eſt, qui ex ſua in nos bonitate præmium illud nobis conſtituit, ſecundum ea merita, quæ per ipſius gratiam in hac uita nobis comparata ſunt.

QVOCIRCA magna animi uigilantia curandum, ut pios motus et ſanctas cogitationes (quas certum eſt, non niſi diuini ſpiritus afflatu, animis influere) omni humilitate, attentione et gratitudine ſuſcipiamus: eamq; gratiam quæ nobis in Chriſto offertur, et nos ſemper ad bonũ excitat, obuijs (ut dicitur) ulnis amplectamur, omniq; ope et ſtudio nitamur, ne gratiam dei in uacuum accipiamus. Vbi uero ſentimus nos, quãuis diligenter et ſtudioſe contendẽtes carnis tamẽ infirmitate retrahi ac retardari, impotẽtes quoq; et debiles admodũ, minusq; ad ea quæ uellemus præſtanda idoneos eſſe: tum ſerio ardentibus animi deſyderijs, firmaq; fide, apud omnium bonorũ largitorem deum, uota noſtra effundamus: poſtulantes in fide (ut diuus Iacobus docet) et abſq; hæſitatione, ut deus quod in nobis operari cœpit, perficere dignetur. Certe perſeuerantibus et pulſantibus, pater cœleſtis benignitatis ſuæ ianuam aperiet, et preces ſupplicum haud aſpernabitur. Eſt enim illius inexhauſta bonitas, uultq; omnes nos ſaluos fieri, et curat ea ac

Gratia dei nõ in uacuum accipienda.

Iacob. 1.

1. Tim. 2.

ea ac prouidet, quæ in salutem nostram sunt, nisi nostra uelimus malitia nos ab illo auertere, atq; nostra culpa perditũ ire. Nam ipsi certe nobis peccati et exitij authores sumus, non deus: damnabimur autem iusto ipsius iudicio, si naturam primo recte conditã, et deinde à lapsu restitutam, contaminare, et uitio conspurcare uoluerimus, carnisq; et mũdi cupiditatibus, posthabita ipsius uoluntate, obsequi.

Deus non est causa peccati aut nostri exitij.

MONENDI itaq; homines sunt, ne damnationem suã deo ascribant, sed sibi suoq; uitio acceptam referant, qui tot dei beneficijs ac donis pro suæ uoluntatis malitia et libidine, ingrati abutuntur.

POSTREMO admonendi sunt hic omnes, et præsertim illi qui sacras apud populum conciones habent, ne in hoc tam sublimi argumento, uel ad dextram uel ad sinistram declinent, id est, ut nec liberum arbitrium ita prędicent, ut gratiam dei afficiant contumelia: nec gratiam sic efferant, ut libero arbitrio locum non relinquant.

Concionantibus de libero arbitrio quid attendendum

DE IVSTIFICATIONE.

QVM EXPLICATIO IVSTIficationis ab originalis peccati declaratione nõnihil pendeat, intelligendum est in primis, omnes homines delicto originis obnoxios nasci, hoc est, destitutos et carentes iustitia originali, qua Adam in creatione sua prædituς erat, quæq; in posteritatem illius dimanasset, nisi suæ inobedientiæ crimine, et se et posteros suos omnes ea priuasset.

Peccato originali omnes obnoxij.

PRAETEREA hoc etiam memoria est tenendũ, omnes homines innatam habere concupiscentiam, ex qua oriuntur

Concupiscẽtia

iniustæ

iniustæ cupiditates, legi dei repugnantes, naſciq; omnes filios iræ et reos æternæ mortis, à qua nullis ſuis uiribus queunt liberari, ſed potius maiorem ſibi indies (quoad dei gratia liberati fuerint) peccatorum ſuorum cumulis dei iram accendunt.

VT autem ex hac miſeria homo eriperetur, in quam ſua culpa delapſus eſt, utq; ea, quæ in prima creatione collata ei fuerant bona recuperaret, atq; ita immortalem gloriam obtineret: uiſum eſt omnipotenti ac clemẽtiſsimo deo, pro immenſa ſua erga genus humanum charitate, unigenitum filium ſuum mittere in terras, ut uerbum caro factũ, humanę ſalutis ac redemptionis myſterium operaretur: nosq; ex ſeruitute diaboli et peccati, in ueram libertatem aſſereret, et mortem aboleret, fieretq; mediator dei et hominum et propitiatio pro peccatis mundi.

ITA enim conueniebat, ut qui hominem deo reconciliaturus erat, utranq; naturam, dei ſcilicet et hominis, plenã in ſe haberet. In eo enim qui inter duos diſsidentes mediator erit, hoc omnino requiritur, ut utriq; parti ſe medium interponens, adiungatur ac ſocietur, nec uni magis quàm alteri adhæreat. Nam ſi alteri tantum ſe applicaret, ab altera autem ſe parte ſeiungeret: non poſsit idoneus mediator exiſtimari, qui diſsidentes reconciliaret. Quare Chriſtus natura deus exiſtens, hominis etiam naturam aſſumpſit, et inter homines uerſatus eſt, ut eos morte ſua ſeruaret ac redimeret, nihilominus diuinam retinens naturam, uerus idem et perfectus eſt deus ac homo. Quòd ſi tantum homo et nõ item deus fuiſſet, non potuiſſet ſane illius mors, iuſta et condigna eſſe pro peccatis mundi compenſatio ac ſatisfactio. Vt contra, ſi deus tantum ſemper manſiſſet, nec ſuæ diuinæ naturæ noſtram adiunxiſſet, nos profecto humanæ illius conſuetudinis, quàm in terris egit, dum nos ad pieta-

Chriſtus mediator dei et hominum.

tem instituit uiamq; in cœlum monstrauit, fructu perpetuo caruissemus: nec corpus pro nobis redimendis in mortem tradere potuisset.

1. Tim. 2. ITAQVE proprium hoc mediatoris officium Paulus respiciens, apte locutus est, dicens: Vnus mediator dei et hominum homo Christus Iesus. Hoc nimirum insinuans, nempe quòd unus ille fuerit, qui utriusq; naturæ proprietatem in se contineret, nec posset alius præter hũc, redemptionis humanæ ac reconciliationis cum deo et iustificationis nostrę mediator recte appellari.

PORRO ut pergamus in explicãda ratione, qua huius quę per Christũ accedit, iustitię participes efficiamur: sciendum est, hanc uocem IVSTIFICARI in plęrisq; scripturæ locis significare, ex iniustis iustos coram deo fieri. Id quod tũ fit, cum per ipsius gratiã uocati, ad ipsum conuertimur et illi reconciliamur, efficiamurq; ex filijs iræ et mortis, filij dei et uitæ æternæ hæredes, adeo ut gratuito dei munere, et in uijs domini ambulare, et in extremo tandem dei iudicio pro iustis haberi ac reputari, uitamq; æternam adipisci queamus. Et huius nostrę iustificationis licet deus ipse pręcipuus sit author et causa (cum nihil unquàm boni abullo homine fieri possit, nisi aspirante dei gratia, qua semota liberi tantũ arbitrij impetum sequentes, in peccatum indies altius immergimur) ita tamen deo sapientissimo uisum est, ut homo inuitatus per gratiam, quam potest (si uelit) oblatã uel amplecti uel aspernari, in iustificationis suę opere non sit otiosus: sed per assensum animi et obedientiã, ad iustificationẽ adipiscendam, suam sibi operam accommodet, eaq; per gratiam adiutus opera pręstet, quę ad iustificationem requirũtur, ut sic perseuerando ad gloriam illam quam deus pręparauit, uijs ac modis à deo constitutis aliquando perueniat.

Iustificationis nostræ modus.

AT HOC loco consyderandum est, quod quàmuis ser-

uator

uator noſter Ieſus Chriſtus, ſe uictimam patri pro ſalute mũdi obtulit (cuius mors unica eſt redemptio et expiatio pro omnium peccatis, nec alia patet ad patrem uia quàm per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in cuius ſolius merito et dignitate ſpes noſtræ ſalutis collocanda eſt, cuius tanta etiã eſt in nos charitas, ut omnes homines abſq; perſonarum reſpectu uelit ſaluos fieri, omnes ad ſalutem atq; ſuæ gloriæ et beatitudinis communionem inuitans) certum tamen eſt, non omnes huius partæ per Chriſtum felicitatis participes fore, ſed eos tantũ qui doctrinam ipſius et uerbum ſequuntur, idq; hoc ordine et forma quam hic ſubiungimus.

Chriſtus omnes ad gloriam inuitat.

PRIMVM quidẽ ut de adultis et natu maioribus qui nec dum baptizati ſunt, loquamur: ante omnia oportet ut fidem habeant, iuxta illud. Accedentem ad deum oportet credere. Taliq; fide quæ uerbo dei nititur, imbuti: et hinc quidem de iudicio dei et ſeueritate contra impios, illinc uero de miſericordia per Chriſtum erga reſipiſcentes edocti, prioris uitæ pœnitentiam agere certamq; ſpem de remiſsione peccatorum per Chriſtum concipere, et uitæ nouitatem meditari ac profiteri, atq; ita baptiſmi ſacramentum accipere debent. Et hæc ordinaria eſt et conſueta apud deum ratio adultos iuſtificandi. Nam de infantibus credendum eſt, iuſtificationem illorum arcana ſpiritus ſancti operatione fieri, cum in fide eccleſiæ baptizantur.

Adulti accedentes primo ad fidem, quomodo iuſtificentur.

Infantes quomodo iuſtificentur.

ATQVE hæc iuſtificatio quæ hactenus à nobis eſt expoſita, prima iuſtificatio recte poteſt uocari: nempe primus noſter in domum dei et Chriſti eccleſiam introitus, et in iuſtorum ſanctorumq;, id eſt, fidelium numerũ aſcriptio. Ad quam dignitatem et honorem aſſumpti, profitemur nos iam Chriſti ſeruos fore, et ſub illius ſignis contra diabolũ, mundum et carnem, in hoc mundo perpetuo dimicaturos, à quibus hoſtibus ſi poſtea proſterni contigerit ac uinci, non alia

Iuſtificatio prima.

Pœnitentia altera tabula post naufragium.

tum quàm per pœnitentiam reſtat medicina, ſi modo amiſſam iuſtitiam uelimus recuperare.

Per pœnitentiam recuperatur amiſſa iuſtitia.

QVARE his qui iam à baptiſmo lapſi ſunt, neceſſe eſt ut à pœnitentia iuſtificationem petant, in qua haudquaq; moliter ac languide, aut ſibiipſis blandientes uerſari oportet, ſed uera exhibere ſynceræ pœnitentiæ ſigna, dolere et flere ob peccata, ieiunijs, eleemoſynis, et precationibus inſiſtere, cæteraq; præſtare omnia (ſaltem animo et uoluntate ſi deſit operandi tempus) quæ lex dei mandat ac preſcribit. Huic pœnitentiæ adiuncta eſſe debet fiducia miſericordiæ dei & remiſsionis peccatorum merito Chriſti, per quem non dubitandum eſt (ſi modo ut oportet, integra fide, et recto animi propoſito pœnitentiã egerint) quin ſint denuo recipiendi in gratiam cum deo atq; in iuſtorum gregem referendi.

Pœnitentia ſyncera.

Fiducia miſericordiæ dei.

RESTITVTA autem hũc in modum per pœnitentiam iuſtificatione his qui poſt baptiſmum à gratia exciderunt, pergendum eſt in ea ad quam olim in baptiſmi ſacramento obſtricti fuerunt, militia et pugna: in quotidiana hominis externi mortificatione, et renouatione mentis, in proferendis fructibus ſpiritus, in perſeuerantia bonorum operum, in omni cõtinentia, patientia, iuſtitia, fide, ſpe, et charitate &c. Vt hoc pacto perfectam tandem et abſolutam iuſtificationem, in die iudicij adipiſcantur: cum gloriam et præmium immortale cum iuſtis accipient. PATET itaq; ex his, quàm ſit neceſſarium ad tuendam et conſeruandam iuſtificationem, ſiue in baptiſmo primũ collatam, ſiue à baptiſmo recuperatam in pœnitentia, ſiue deniq; ad eandem iuſtificationem augendam et perficiendam, diligenter incumbere, et ſummo ſtudio inuigilare, ne quando diaboli laqueis implicemur. Neq; enim iſtud nos ignorare oportet, nimirum licet iuſtificationem adepti ſimus, et cum deo in gratiam recepti: at facile tamen ab eadem excidere nos poſſe, tanta eſt

Progrediendum in iuſtificatione.

carnis

carnis noſtræ prauitas et in malum propenſio.

NAM quamuis anima ſemel mundata ſit et ſpiritus immundus foras eiectus: at tamen ſi uel paululum ociari ac dormitare uoluerimus, redibit haud dudie malus ille etiam ſtipatus ſeptem alijs ſpiritibus ſe nequioribus. Et nos licet ſemel illuminati fuerimus, ac guſtauerimus donum cœleſte, ſpiritus ſancti participes effecti &c. at omnis hæc gloria cito per peccatum dilabetur, niſi nobis caueamus, et firmi maneamus in timore domini. Quamobrem ut Paulus monet, Qui ſtat uideat ne cadat.

Luc. 11.

Heb. 6.

1. Cor. 10.

IAM hic faceſſant omnino ac penitus abijciantur curioſæ omnes et inanes de prędeſtinatione imaginationes, et quod ſcriptura plane et ſimpliciter docet, illud audiamus atq; ſequamur. Hęc autem innumeris ſane locis admonet: ut ſemper nobis ipſi diffidamus, ut à carnis noſtræ infirmitate ac inſita ad peccandum pronitate nobis ſemper metuamus, nec de noſtra nos electione aliter certos eſſe ſtatuamus, quàm per ſpirituales in corde motus et ſigna gratiæ, quæ nō modo rerum cœleſtium amorem in animis noſtris excitant, ſed in bonis etiam operibus noſtris elucent, in quibus porrò ad extremum uitæ noſtræ finem (ut uere in electorum numero habeamur) perſeuerandum eſt. In hunc modum diuus Petrus nos hortatur, ut uocationem & electionem noſtrā certam faciamus. Et Chriſti ſententia eſt: Qui perſeuerauerit in finem, ſaluus erit. Et in Apocalypſi: Eſto fidelis uſq; ad mortem, et dabo tibi coronam uitæ. Quæ cum ita ſint, danda opera nobis eſt, ut ſemel uel baptiſmo, uel pœnitentiæ ſacramento iuſtificati et deo reconciliati, Chriſtum dominum et magiſtrum noſtrum aſsidue ſequamur, crucemq; noſtram alacriter feramus, et creſcentes in gratia et cognitione dei, in omni bonorum operum genere perſeueremus ac progrediamur, atq; ita indies magis magisq; iuſtificemur, iuxta

Prædeſtinatio non curioſe inueſtiganda.

Certitudo electionis.

2. Pet. 1.

Math. 24.

Apo. 2.

Apoc.22. iuxta illud Ioannis: Qui iustus est iustificetur adhuc. Nam quo magis ac melius in gratia dei proficimus, ac propius nos in eam insinuamus: eo auctior indies ampliorq; nostra efficitur iustificatio.

Fide iustificamur non sola sed una cum aliis donis gratiæ.

ATQVE ex his sane quæ hactenus diximus, liquido apparet, non solam fidem (quatenus fides quidem unum est ac simplex donum, à charitate et spe distinctum) sed cætera etiam gratiæ dona iustificationem nostram conficere, et in eadem semper adesse oportere non modo misericordiæ fiduciam, sed emendandæ etiam uitæ, et bene operandi uoluntatem ac propositum.

Fide uiua iustificamur.

CVM autem in scriptura, aliquoties iustificatio absolute attribuitur fidei, nulla aliorum donorum adiecta mentione, intelligendū est, hoc dictum esse de fide cum dilectione coniuncta, quæ uiua dicitur, iuxta secundam fidei à nobis in principio huius libelli expositam significationem. Hæc enim fides non est simpliciter credulitatis donum: sed pœnitentiam etiā et charitatem, dei timorem et spem complectitur, quæ omnia ad iustificationem nostram efficiendam cōfluunt. In summa nulla alia fides ad iustificationem sufficit, Gal.5. nisi quam Paulus ad Galatas operātem uocat per charitatē.

Opera iustificatorum.

QVAE autem bona opera, à iustificatis fide uiua efficiuntur, ualent ea quidem, tum ad fidei et charitatis incrementum in nobis, tum ad iustificationis nostræ augmentum et conseruationem, ac deniq; æternæ salutis adeptionem.

Gratis iustificamur.

QVAMVIS autem sine his gratiæ donis iam commemoratis, nunquàm iustificemur, gratis tamen iustificari nos intelligendum est, eo quòd omnia dona quibus absoluitur iustificatio, ex gratuita dei benignitate et gratia, et non ex 2. Cor.3. nostra dignitate proueniant. Ita ut minime in nobis ipsis gloriandum sit, cum non simus sufficientes ex nobis quasi ex nobis, boni aliquid uel cogitare, sed sufficientia nostra ex

deo

deo eſt, cuius immenſę bonitati, dona omnia et merita noſtra aſcribere oportet: qui per ſpiritum ſuum nobis dignatur adeſſe, et nos ad mandata ſeruanda confirmare. Quæ etſi a nobis imperfecte admodum, et longe infra noſtrum debitum obſeruantur, etiamſi in ſumma integritate et innocentia uitam traduxerimus, deus tamen pro ſua infinita bonitate et clementia, noſtram iſtam qualemcunq; obſeruantiam, tanquam perfectam approbat, et ratam habet per Chriſtū, qui pro nobis intercedit, legemq; pro nobis impleuit, finisq; et perfectio legis eſt omnibus, qui uere in illum credūt.

Legem impleuimus per Chriſtum.

ITAQVE omnia gratis nobis, et non propter noſtram dignitatem collata ſunt, nec ullum meritum noſtrum potuit gratiam dei præcedere, cum gratia ſit meriti parens: ſuntq; merita noſtra, et bona omnia, à deo authore et patre luminum profecta. Quare cum omnia à deo acceperimus (Quid enim habes inquit apoſtolus, quod non accepiſti) in illius miſericordia tantum, nobis acquieſcendum et gloriandum eſt, atq; huic omnia accepta referenda ſunt: nempe iuſtificationis noſtræ inchoatio, progreſſus et conſummatio, atq; ad extremum, uitæ æternæ remuneratio, ad quam, certa ac recta et plane regia uia per Chriſtum (cuius uerbū nemini mutare licet) inſtituta et monſtrata, eſt ipſa mandatorum dei obſeruatio. Ita enim aperte Chriſtus loquitur. Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Quæ ſententia conſtanter tenenda eſt, atq; in ea præſtanda ſemper perſeuerandum, ut ſalutem conſequamur. Quod ſi fecerimus, huic noſtrę iuſtificationi ſuccedet haud dubiè glorificatio, iuxta diuinum illū ordinem oſtenſum a Paulo Romanorum octauo: Quos iuſtificauit, illos et glorificauit.

1. Cor. 4.

Gloriandum in ſola miſericordia dei.

Mat. 19.

Rom. 8.

De

DE BONIS OPERIBVS.

Scripturæ doctrina uniuersa est, pie uiuere.

VNIVERSA DIVINI SERmonis prædicatio et doctrina, in Christi ecclesia, in hunc scopum dirigenda est, ut hominibus persuadeat, non solum esse deum, atq; in eum fidem et spem reponendam esse: sed ut cognitum etiam uenerentur et colant, atq; illi in operibus bonis, ex fide et charitate pullulantibus seruiant, omnia carnis, mundi, et tenebrarum opera abijciant. Hæc enim quicunq; patrare ausint, nisi oportune resipiscant, et per pœnitentiam deo reconcilientur, non consequentur (sicut Paulus inquit) regnũ dei. Gal. 5. Atq; in hunc sane finem scripturam spectare, ut homines ad uitæ integritatem et cultum dei, in bonis operibus adducantur, testatur Paulus ad Timotheum his uerbis. Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo dei, ad omne OPVS BONVM instructus. 2. Tim. 3.

Bona opera non sunt tantũ facta externa.

CVM autem bona opera nominamus sciendum est, non de externis tantum factis et corporum actionibus nos loqui: sed etiam ac potius de his, quæ intrinsecus in animo geruntur, secretisq; cordium motionibus et affectibus, ac præsertim de fructibus qui spiritus esse dicuntur, quales sunt charitas, gaudium, patientia, humilitas, timor dei, ac denique omnes sanctæ et piæ cogitationes.

AD HAEC cum bona opera dicimus, haudquaquàm superstiosa illa opera intelligimus, quæ homines ex suo cerebro, ad deum quouis modo placandum, aut religionis opinionem apud uulgus aucupandã effinxerunt et excogitauerũt, atq; id absq; uerbo aut præcepto dei. Cuiusmodi opera,

postremis

postremis his temporibus in precio apud complures Christum profitentes, præsertim eos qui se religiosos præ cæteris nuncupabant, habita fuerunt: quippe qui his potius, q̃ diuinis præceptis sæpe nitebantur et confidebant. At ne hic quidem bonorum operum nomine, ea intelligimus opera, quæ naturæ uiribus sine fide præstari queunt, qualia sunt quæ in genere bona et naturæ conuenientia ac moralia uocantur. Quæ etsi bona sunt, atq; à lege naturæ dictata, præmiumq; sæpe ac remunerationẽ saltem temporariam à deo referunt, at non sunt tamen meritoria, nec ualent ad uitæ æternæ consecutionẽ absq; fide in Christum, ac propterea hic à nobis, cũ de bonis operibus loquimur, excluduntur.

Superstitio pseudomonachorum.

Opera rationis humanæ.

EA ENIM nos opera bona hic intelligimus, quæ ex fide prodeunt et dilectione, et non humani tantum sensus aut prudentiæ, sed gratiæ potius ac spiritus opera sunt, ea uidelicet, ad quæ conditos nos in Christo scribit Paulus ad Ephesios, & quæ à deo præparata sunt, ut in illis ambulemus.

Opera uere bona.

Ephes. 2.

ATQVE horum bonorum operum duplex est genus, nam quædam sunt eiusmodi, quæ à iustificatis in charitate fiunt ex puro corde, et conscientia bona, ac fide non ficta. Quæ opera licet ex se indigna, imperfecta et insufficientia sint: tamen quia in fide Christi fiunt (cuius passionis uirtute ac merito eorum imperfectio suppletur) ea deus, quę sua est misericordia et bonitas, boni consulit et accepta habet, tanquàm legis suæ obseruationem. Sumtq; hęc opera ueri cultus dei, et ad consequendam uitam æternam meritoria. Quæ eadem et fructus et opera iustitiæ uocantur.

Bonorum operum duplex ratio.

Opera iustitię

ALTERVM genus est illorum operum, quæ ijs de quibus proxime egimus, minus perfecta sunt, et tamen per dei gratiam in fide, et animo erga deum bene affecto fiunt, cuiusmodi sunt eorum opera, qui iam pœnitentiam agere, et à peccatis suis ad deum conuerti incipiunt. Hi enim flagitiosam suam uitã pertæsi, et in mœrore ac luctu peccata sua

recolentes, operibus (quibus possunt) deum solicite placare studeant: Atq; hæc proprie opera pœnitentiæ uocẽtur. Verbi gratia: Sit peccator aliquis qui cum audit aut recordatur uerbum dei, per gratiam compungitur ad pœnitentiam, incipitq; dolere et gemere ob peccata, et deum preçari atq; implorare cęteraq; facere bona opera, quibus et iram dei effugiat, et in gratiam recipiatur. Hæc quidem opera oriuntur à gratia, et tamen eiusmodi homo nondum inter iustificatos habendus est: sed quærit adhuc et petit peccatorum suorum remissionem et iustificationem, à qua abesse eum et nondum ad eam peruenisse, conscientiæ suæ testimonio cõuincitur. Verum quidem est eiusmodi hominem rectam sane et beatam uiam iam ingressum esse, quamuis non eo adhuc quo oportet progressus sit, sed quasi reptans et ad deum ut potest se attollens in ipso iustificationis uelut uestibulo atq; atrio adhuc uersatur, qui per eiusmodi pœnitentiæ opera iã incipit iustificari. Quòd si perrexerit, et pulsando ea qua oportet fide et studio perseuerauerit: anhelans ad ipsam beatificam dilectionem dei, iam tum spiritus sancti ampliore gratia imbutus, remissionem peccatorum ac iustificationẽ certo impetrabit: et in numerum eorum, qui pure integreq; deo seruiunt, referetur: mundatamq; iam et pacatam habens conscientiam, idoneus efficietur ad dei cultum ac laudem, et fructus iustitiæ per Christũ proferendos. Qui status plane est eorũ qui iustificati et per gratiã deo coniũcti sunt.

Opera pœnitentiæ.

ATQVE eiusmodi quidem opera de quibus iam diximus ad obtinẽdam remissionem peccatorum et iustificationem, prius a nobis exigi, ex uarijs scripturę locis haud obscurum est: Vt cum in euangelio à Christo dicitur. Pœnitemini et credite euangelio. Quo loco peccatores primum hortatur, ut contriti peccata sua agnoscant et confiteantur, ac deinde per fidem lætum accipiant euangelij nuncium de remissione peccatorum. Et Ioannis Baptistæ prædicatio nihil aliud

Opera pœnitentiæ requiruntur ad iustificationem. Marc. 1.

fuit

fuit quàm pœnitentię prȩconium, quo uiam uenturo Christo sterneret, docens eos qui ad ipsum ueniebant, qua ratione Christo se adiungerent, ut remissionem peccatorum ab eo consequerentur, quemadmodum est Lucę tertio. Et certe quòd ij qui semel baptizati et Christi fidem amplexi sunt, si in grauiora peccata recidant, nō possint nisi per pœnitentiam, iustificationem recuperare, perspicuū euadit ex eo dicto Petri ad Simonem Magum dicentis. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: et roga deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Luc. 3. Act. 8.

ET hęc profecto forma ratioq; doctrinæ tenēda est, quę in scripturis ubiq; planissime mōstratur, ut homines primū de conuersione & pœnitentia instituantur, atq; ita deinde fiducia concipiant remissionis peccatorū ac iustificationis.

ET quanq; hæc opera pœnitentię à nobis requiruntur ad peccatorum remissionem et iustificationem: at nihilominus iustificatio gratuitum est dei munus, gratisq; nobis confertur, quemadmodum et omnia nostra tum opera tum desyderia bona, ex gratia procedūt per quā præparamur et idonei efficimur, ad uberiorem istam remissionis peccatorum ac iustificationis gratiam recipiendam. Nec sanè est absurdum aut secum pugnans, talia à nobis opera prius per gratiam præstari, et tamen gratis nos iustificari. Nam ita legimus in Apocalypsi dominum loquentem. Qui sitit ueniat et qui uult accipiat aquā uitæ gratis. Animaduertimus enim hoc loco et iustificationis beneficium gratuitum esse, et nostrum etiam qualemcunq; laborem prȩcedētem et industriā postulari. Nam et sitiendum est et accedendū, et uoluntas excitanda et conuertenda. Quæ à nobis tum præstātur, cū per fidem et pœnitentiam à peccatis surgimus, properantes ad Christū salutis fontem, ut uitales iustificationis aquas hauriamus. Atq; ita uel per baptismum, uel postea per pœnitentiam iustificati, et si quotidiana et leuiora peccata, quibus hu- Iustificamur gratis. Apoc. 22. Gratia et liberū arbitriū in iustificatione concurrūt

manę naturę fragilitas obnoxia est, nequeant effugere, et propterea perpetuam pœnitentiam agere debeant, tamen quãdiu peccato mortali non consenserint, à statu suæ iustificationis non deijciuntur, sed filij dei manent, possuntq; ij qui in hoc statu degunt, per dei spiritum in illis habitantem eiusmodi opera præstare, quæ deo per Christũ grata et accepta sint, habeanturq; et reputentur pro operibus iustitiæ, et ualeant ad conseruandam atq; etiam augendam iustificationem, habeantq; constitutum sibi ex diuina promissione immortale præmium in cœlis.

Operum bonorum fructus.

ET hæc interna externaq; syncerae pietatis opera nõ tantum fidem nostram declarant, et gratiæ à nobis acceptę signa ac testimonia sunt: sed hunc potius fructum et uim habent, ut fidem nostrã exerceant, nutriant, confirment, augeant et perficiant.

Opera bona non tantũ declarant fidem

NAM postq; Christi seruatoris cognitione semel imbuti sumus, nisi tota mente in bona opera incumberemus, confestim ex dei gratia et statu iustitiæ, in quem euecti eramus, excideremus: atq; iterum in peccati seruitutem redigeremur. Et ut Petrus dicit: Deterius nobiscum ageretur quàm olim cum à Christo essemus alieni.

2. Pet. 2.

PORRO crescere nos et proficere in dei gratia per bona opera, ex illa Christi promissione manifestum est: Omni habenti dabitur et abundabit. Sentit enim eos qui gratia semel donata recte utuntur, maiorem gratię abundantiã et copiam adepturos. Atq; ita quemadmodũ in benefaciẽdo perseueramus, sic indies magis magisq; nostra procedit iustificatio, auctiorq; et cumulatior efficitur. In quẽ sensum Petrus hortatur: Ne excidamus à propria firmitate, sed crescamus in gratia et cognitione domini et seruatoris Iesu Christi.

Crescimus in gratia per bona opera.
Matth. 13.
Iustificatio auctior redditur bonis operibus
2. Pet. 3.

ATQVE hanc dignitatem operibus tribuere, diuinę gratiæ nihil detrahit, cum oporteat, fateri omnia bona opera ex gratia uenire, et merita nostra nihil aliud esse, ut inquit

Opera bona ex gratia.

Augu-

Augustinus, quàm dei dona.

QVAMOBREM facessat oportet omnis nostra in nobis gloriatio, aut proprię dignitatis uel meriti respectus, cũ sciamus opus nostrum (quatenus nostrum est) apud deum nihil esse, nisi tantum ex benignissima acceptione misericordiæ dei in Christo. Ac propterea si quid boni à nobis, deo aspirante gestũ fuerit: nõ nobis statim placere debemus et cristas erigere, quasi iam perfecti simus et deum apprehẽderimus: cum ne Paulus quidem eo se peruenisse fateatur. Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quę quidem retro sunt obliuiscẽs, ad ea uero quę sunt priora extendens meipsum ad destinatũ persequor, ad brauium supernę uocationis dei in Christo Iesu. *Non gloriandum in nobis.* Philip. 3.

NE IGITVR in nos ipsos aut nostrã dignitatem oculos reflectamus, sed pergamus in studio bonorum operũ, consitentes nos quo plus proficimus, eo nos plus dei gratiæ debere, et cum omnia fecerimus quæ præcepta sunt, docemur à Christo ut nos inutiles seruos esse dicamus. Nam, quæ debuimus facere, fecimus, nec quicquàm fecimus, nisi cuius faciendi potestatem à deo accepimus, idq; in nostrum non ipsius cõmodum. Sed quanq; iuxta hanc rationem inutiles nos æstimare semper debemus, cauendum tamen ne ita simus inutiles, hoc est, ociosi ac pigri, quemadmodum ille inutilis seruus, cui dicetur: Seruũ inutilem proijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Quare Paulus uehementer hortatur, ne in uacuum gratiam dei recipiamus. Quę sententia nos excitare debet ad bene operandum. Nam in hunc finem tam immensam suam in nos deus gratiam effudit, et nos sibi in Christo reconciliauit, ac liberauit à tyrannide peccati et diaboli, ut redempti ipsum colamus, et ut Zacharias canit, De manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et illustrissima extat Pauli sententia ad

Luc. 17.

Inutiles serui quomodo simus.

Mat. 24.

2. Cor. 6.

Luc. 1.

Tit. 2. Titum ſecundo: Qua dicit apparuiſſe gratiam dei omnibus hominibus, erudientem nos, ut abnegantes impietatem & ſęcularia deſyderia, ſobrie, & iuſte, et pie uiuamus in hoc ſęculo, expectantes beatam ſpem et aduentum gloriæ magni dei et ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorũ operum. Quæ plane diuina Pauli ſententia, præter cætera copioſa et ampla doctrinæ Chriſti myſteria, his tribus uerbis, SOBRIE, IVSTE, et PIE, omnia bonorum operum genera exprimit. Nam cum SOBRIE dicit, omnem temperantiam et continentiam, ieiunium quoq; et omnem rectam corporis noſtri caſtigationem et diſciplinam indicat. Cum autem dicit IVSTE, omnia intelligit officia charitatis erga proximos, una cum obedientia quæ principibus ac magiſtratibus præſtanda eſt. PIETATIS autem uocabulo, omnia ea cõprehendit opera, quæ prȩcipue ſpiritus ſunt, et ad deũ immediate referuntur: qualia ſunt orare, dei cogitationem aut meditationem habere, eius gloriæ deſyderio accendi &c.

Sobrie uiuere quid.

Iuſte uiuere.

Pietas.

ATQVE hæc opera ſunt, quibus omni ſtudio et tota animi contentione addictos eſſe nos perpetuo oportet, quorũ quidem fines atq; effectus potiſsimum nobis ſpectandi, ij ſunt: Gloria dei, Commodum proximi, Noſtræ ſanctificationis meritum, Vt gratos nos ſeruos Chriſto ſeruatori exhibeamus, Vt dei nos populum eſſe teſtemur, Vt in nobis ac per nos, nomen dei glorificetur, Vt eccleſiæ noſtro exemplo ædificatio accedat: Vt declinemus peccati et tentationis pericula, Vt auertamus iram dei, Vt gratia dei atq; illius dona in nobis augeantur et conſũmentur, Vt uocationem et electionem noſtram firmam faciamus, Ac deniq; ut uitam illam æternam et incorruptionis gloriam adipiſcamur, nec in die iudicij uacui et ſine fructu inueniamur, in quo deus unicuiq; ſecundum opera redditurus eſt.

Bonorum operum finis.

De

DE ORANDO PRO MORTVIS.

QVANDOQVIDEM et charitas dictat, et Machabęorũ liber ac ueterum ecclesiæ doctorum scripta cõfirmant, sanctũ et salubre esse orare pro mortuis, et quoniã hic mos in ecclesia ab antiquis, atq; adeo ipsis apostolorũ temporibus durauit: proinde orationes pro defũctis deo gratas et nequaquàm irritas esse existimandum est. 2. Macha. 12.

ET CERTE palam est, christianæ charitati consentaneũ esse, ut proximos seu uiuos seu uita defunctos precibus deo commendemus, aliośq; ut ita nobiscum orent inuitemus, et iuxta ecclesiæ cõsuetudinem atq; antiquorũ patrum sententiam, fratrum mortuorum memoriam in missarum celebratione et exequijs haberi, aut eleemosynas pro illis dari curemus. Hæc enim ut illis pro quibus fiunt, utilitatem et fructũ afferre sperandũ est: ita nostram etiam in uita functos charitatem declarant, quorum commodum et salutem tam studiose quærimus. Qui tametsi hinc decesserũt, manent tamen nobiscũ ecclesiæ, id est, eiusdem corporis membra, nec alieni debent reputari. Quantum autem, aut quibus, aut quatenus huiusmodi preces nostræ ualeant, aut quãto quoue temporis spatio à nobis subleuentur, solus deus nouit: qui etiam solus eiusmodi orationũ merita & fructus recte pro sua sapientia dispensat, et inæstimabili iustitię et misericordiæ suæ libra trutinat. Nostrum uero est arcana, in abysso iudiciorum dei recondita omittere, et pietatis tantum officiũ ac syncerę orationis pro uniuersis tum uiuis tum mortuis pręstare. Et quanq̃ noster affectus atq; intentiò unum magis quam alterum, aut certas personas spectet, sciendũ tamen eiusmodi orationes pro uniuersa Christi ecclesia siue militante, siue obdormiente in somno pacis, fieri debere. Atq; ut hanc communem

munem et in uniuersas diffusam charitatem spectent admonendi sunt, qui eiusmodi pro mortuis sacrificia uel exequias celebrari curant. Porrò quoniã de loco ubi animę degant, de illius nomine, de illarũ statu et cõditione incerti sumus, propterea hæc et cætera eiusmodi omnia deo relinquenda sunt: cuius misericordiæ æquum et congruũ est eos à nobis commendari, cum hac spe et fiducia quòd deus preces nostras gratas acceptasq; habiturus sit. Quod superest deo tantum committamus, cui animarum status et conditio explorata est. Nos uero nihil in alterutram partem temere definiamus in his rebus adeo ab hominum cognitione remotis.

POSTREMO necessarium admodum est, omnes eiusmodi abusus qui antehac per Romani papatus assertores & illius farinæ homines in ecclesiam introducti sunt, penitus abrogari: et proinde ut abstineatur à uocabulo Purgatorij, nec amplius de eo disputetur, sub cuius fuco multa inania et indigna in ecclesiam irrepserunt atq; in precio habita sunt, ut indulgentiæ illæ Romanæ, quibus uulgus à pœnis et culpis statim liberari credebat: et quòd missæ scalares aut certis locis decantatæ animas expiarent, quòdq; certę et prescriptę precatiunculæ aut illarum constitutus numerus, idq; adeo ad certas statuas præ alijs, animas liberarent. Nam eiusmodi somnijs imperiti fidebant. Qui omnes abusus omnino abolendi & reijciendi sunt.

Indulgentiæ.

FINIS.

LONDINI in officina Thomæ Bertheleti regij impressoris typis excusum.
Anno. M.D. XLIIII. duodeuigesimo die mensis Februarij.
Cum priuilegio ad imprimendum solum.

MVSEVM BRITANNICVM